





**DE BENIGNITATE
IN OPINANDO.**



DE HENRICHATE
IN OPINANDO

DE BENIGNITATE

IN OPINANDO

ANTIQUORUM SAPIENTUM,

Doctrinis, tum laxis, tum rigidis moderno
tempore obscurata, & in pristinam lu-
cem, ac integritatem restituta.

DISSERTATIO

Juridica, Legalis, et Canonica, et Theologico-Moralis,
utriusque Juris Legibus, Regulis, & textibus SS. PP. et
Antiquorum Theologorum auctoritatibus, novis-
que rationibus, & animadversionibus sta-
bilita, & roborata

A Fr. PASCHALE SALMERÓN,

*Strictioris Observantiae S. P. N. Francisci
Discalceatorum, Theologiae Scholasticae,
necnon & Moralis Ex-Lectore, olimque
Diffinitore, Provinciae S. Joannis Bap-
tistae, Regnum Valentiae, &
Murciae, humili filio.*

R. 7803

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Murciae: apud Emanuelem Muñiz. An. 1794.

En la librería de Francisco Descalzos de la Villa
de Cieza =

DE BENIGNITATE

Universae viae Domini misericordia, &
veritas, requirentibus testamentum eius,
& testimonia eius. Ps. XXIV. v. 10.

Neque veritatem tenet, qui misericordiam
(ubi vere est) non agnoscit. Div. Ber-
nardus in Ps. Qui habitat.

Non abscondi misericordiam tuam, & veri-
tatem tuam a Concilio multo. Ps. XXXIX.
v. 11.

Non eris innocens, si aut punias, cui for-
te parcendum est, aut parcas ei, qui
fuerat puniendus. S. Bernardus de con-
sider. lib. 2. circa fin.

Dicendum est mihi... sed ita nihil, ut affir-
mem, quaeram omnia dubitans. Cicer.
de Div. cap. 3. Quaerendo dicimus, non
sententiam praecipitamus. S. Augustin.
serm. 25. de verbis Domini.

CUM SUPERIORUM PFERMISSE.

GENEROSO, ET ORNATISSIMO VIRO

**D.D. JOANNI MARIN,
ORDOÑEZ, DELGADO, BLAZ-
QUEZ, PADILLA, GARCIA,
RUIZ, MELGAREJO, &c. Cie-
zensis Oppidi Senatori per-
petuo, Regiae Oeconomi-
cae Societatis Murciensis
Socio, Sanctae Inquisitio-
nis Familiari, & Officiali Ma-
iori, Ordinis S. P. N. Fran-
cisci Syndico Apostolico
Generali, &c.**

AB immemorabili tempore, Vir Or-
natissime, Maecenates quaerere, qui-
bus suos litterarios labores consecrarent,

*

ita librorum Auctoribus in usu positum fuisse constat , ut ex praescriptione legitima transisse videatur in legem. Vix enim invenitur volumen, cuius in fronte alicuius Illustris personae non praefigatur nomen : vel ut eius auctoritate muniatur , & eius splendore illustretur ; vel ut ipsi Maecenati , ob beneficia ab ipso collata , obsequium praestetur. Gratitudo enim est pulchra decoraque virtus , qua beneficia ab aliis accepta recognoscimus , laudamus , ac pro viribus recompensare conamur. Praecipui huius virtutis actus sunt beneficia in recenti memoria retinere , & magnificare ; beneficia , & benefactorem , ubi occasio datur , laudare , & publicare. Hos omnes gratitudinis actus erga Maecenates Epistolis nuncupatoribus librorum passim videmus exhibitos. Eosdem igitur gratitudinis actus erga **TE** , propter **TUA** beneficia , ego quo-

que exhibere volens, iam pridem ab hinc decennio unum Opusculum *TIBI* nuncupavi; ac nunc etiam istud alterum dicare decrevi.

Beneficia enim à *TE* mihi collata multa quidem sunt, aliaque insuper plurima tamquam propria agnosco, & faste tor. Hunc namque Fratrum Minorum Discalceatorum Ciezensem Conventum (cuius devotissimum *Syndicūm agis*) beneficiis cumulasti, & cūmulas. Assiduis enim eleemosynis subvenis, in egestatibus provides, eius negotia non minus quam domus *TUAE* attendis; immo negotia *TUA* interdum desseris, ut nostris consulas. Vocatus promptus ades, benignus audis, atque si opus est, defendis, ac protegis. Erga Sorores nostras Conventus Monialium Discalceatarum Sanctae Matris Clarae huius Oppidi, eadem exequaris charitatis officia; similiaque erga alios Conventus nostri

* 2



Ordinis , cuius iam à pluribus annis Syndici Generalis munus geris , eius partes summa cum laude exples , illius onera , & molestias patienter , hilarique vultu toleras . Tot me beneficiis cumulasti , totque proinde vinculis obstrinxisti , ac veluti tot nominibus , & syngraphis debitorem consignasti .

Tuorum igitur beneficiorum memor , occasione publicandi praesens Opusculum , illud *TIBI* nuncupare decrevi , *TUAQUE* beneficia cum laudibus enarrare ; ut cum illa aliis dignis obsequiis satis rependere non possim , saltem parvo hoc munusculo , & exiguo obsequio , meae erga *TE* gratitudinis testimonium aliquod exhiberem . Supleat tamen munusculi parvitatem magnitudo affectus , quo illud *TIBI* offero , nuncupo , ac dedico . Fateor autem in hoc obsequio *TIBI* praestando , ipsius

Opusculi lucrum etiam intendere. Nam si in eius fronte nomen **TUUM** tenuerit, cum **TU** sis Vir Clarissimus, & Ornatus, **TUIS** splendoribus, & Ornamentis etiam ornabitur, atque illustrabitur.

Quanta autem sint Ornamenta **TUA**, tum haereditaria, tum adquisita, sive à **TUI** Generis antiquitate, & claritate; sive à Maiorum Tuorum rebus praeclare gestis; sive à **TUIS** Illustribus factis, praeterquam quod longum esset referre, ut quid, haec, quae humanam gloriam redolent, in memoria revocare? Quidquid enim in hoc humano splendore relucet, fuliginem favillaceam continet, fumum exhalat, & fatiscit in vanum pulverem, abitque in favillas. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* dicebat Regius Vates (Ps. XXIX.). Vera quidem nobilitas, ut aiebat Ju-

venalis , est sola virtus:

*Stemata quid faciunt? Quid prodest Pontice, longo
Sanguine gloriari, pictosque ostendere vultus
Maiorum?*

Tota licet veteres exornent undique cerae

Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

Quamvis autem in re sic esse fate-
ri debeamus, aliquam me circunstant, quae
me compellunt, ad nonnulla de his
referenda. Saecularis quidem nobilitas,
nec eius memoria non est omnino con-
temnenda, sed eius abusus: dum nem-
pe homo erga eam inordinate afficitur:
dum ex ea superbit, ac ignobilem des-
picit. Si vero homo ea non abutatur,
utilis est, atque etiam eius memoria.
Aiebat enim Cicero (pro Sext. Fab.):
*Omnes Boni nobilitati favemus, quia
Reipublicae utile est, nobiles esse ho-
mines dignos Maioribus suis.* Et S. Hie-
ronymus (epist. ad Julian.): *Nihil aliud*

*video in nobilitate appetendum, nisi quod
nobiles quadam necessitate constringun-
tur, ne ab antiqua probitate degenerent.*

Quapropter nobilitatis saecularis
mentio laudabiliter fit, non solum ab
Auctoribus prophanicis, sed etiam ab
Ecclesiasticis, immo etiam a Sacris.
Praeter plurimos, quos omitto, unum
tantum adducam. Sanctus Lucas in
Evangelii sui exordio Magni illius
Joannis Praecursoris Domini vitam &
opera descripturus, ab ipsius herae-
ditaria generositate, repetitis antea
Progenitoribus, intentam narrationem
orditur.

Nullibi tamen nobilitatis memoria
magis frequenter invenitur, quam in
nuncupatoriis librorum epistolis. In his
quidem librorum Auctores communi-
ssime, admota Diogenis lucerna, suo-
rum Maecenatum nobilitatem, aliaque
Magnalia non solum narrant, sed etiam

magnificant, & extollunt. Ex his igitur constringor, atque compellor ad nonnulla Ornamenta *TUA*, tum haereditaria, tum adquisita breviter enarranda. Nam cum illicitum non sit, & in Epistolis huiusmodi nuncupatoriis communissime hoc fiat, si in hac ego sillerem, si nihil dicerem, forsitan non deessent, qui meum silentium, non christiana modestiae, non saecularis gloriae contemptui verterent; sed illud sinistre interpretantes, non silerent, ac dicerent, me de *TUIS*, ac de *TE* nulla magnalia, & Illustria dixisse, quia nihil inveni dicendum. Silere igitur non debeo, sed licet non omnia, aliqua saltem de illis enarrare.

Incipiam igitur non ab antiquioribus temporibus, sed a minus remotis, atque novissimis, minusque obscuris; posteaque ad remotiora, antiquiora, & obscuriora gradum faciam. A maiori-

bus quidem audivimus , atque ex parte vidimus *TUOS* inter huius Oppidi praecipuos , primariosque Viros , Generis antiquitate , sanguinis puritate , ac nobilitate illustratos : aliis Clarissimis familiis consanguinitatis , & arietatis vinculis coniunctos : Senatorum , aliorumque praecipuorum Reipublicae Officiorum muneribus ornatos : aliorum populorum , ac civitatum Rectores , & Gubernatores : exploratae virtutis Milites , Strenuos Militiae Duces (quorum unus avus *TUUS* , Optimus Vir , D. JOANNES MARIN ORDOÑEZ , in cuius gratiam , & laudabilem memoriam nomen suum in sacro fonte *TIBI* fuit impositum): plures Ordinum Militarium Equites ; nonnullosque etiam Regalis Ordinis Caroli III. Regis Catholici cruce signatos , & alios plurimos Illustres Viros .

Si autem ad anteriora saecula re-

curramus , quam plurimos ex *TUO* Ge-
nere reperiemus Strenuos & Fortissi-
mos Militares Equites , Patriae , ac Ca-
tholicae Religionis Fidelissimos Defen-
sores. De *Equitibus quantiosis* loquor,
validi illius Equitatus , quem in hoc
Ciezensi Oppido Inclitus Sancti Jaco-
bi Ordo erexit (a) , ut ab in cursibus,
& invasionibus Maurorum vicini regni
Granatensis terram defenderent , ac
propugnarent. In hoc , non per breve
tempus , non per aliquot annos ; sed per
nonnulla saecula , usque ad subiectio-
nem , & expulsionem Maurorum ver-
sati sunt , contra frequentes Maurorum
insidias , & invasiones. In tanta igitur
temporis diuturnitate , quot essent ho-
rum Fidelisimorum Equitum curae,
vigiliae , labores , conflictus , pugnae,
victoriae! Quot merita! Cogitari ac

(a) *Histor. Ciezae num. magin. 77. & seq.*

coniici possunt ; non vero singilatim referri.

Silere autem nolo Actionem illam valde heroicam , & gloriosam , aeternaque memoria dignam , (a) dum nempe anno 1477. Rex Maurus Granatae Ciezam invasit. Tunc inter Regem Castellae , & Regem Maurum Granatae pax firmata erat , quare nullius hostilis invasionis metus in populis erat , nullaque adversus hostes praeparatio. Veruntamen inopinato , & ex tempore Rex Maurus Granatae cum quatuor millibus equitum , & triginta millibus peditum ad Ciezae conspectum appareret. Cieza tunc parvum oppidum , absque muro , absque Domo forti , proindeque indefensum , gensque omnino imparata. Quis igitur tunc tantum Maurorum multitudinem non timeret ? Quis

** 2

(a) *Histor. Ciezae num. 126. & seq.*

non fugeret? Quis hosti adeo potentiori non cederet, ac se submitteret? Sed valde procul ab hoc accidit. Ciezenses enim Patriae, ac fidei Catholicae zelo accensi, foras emitentes timorem, fugere nesciunt; quae quisque potest arma celeriter arripit: ad pontem currunt, ut transitum fluminis Mauris impedian: pontem occupant: Mauri accedunt, & utrumque ad manus veniunt. Nostri strenue dicunt; sed quomodo adeo pauci tantae Barbarorum multitudini resistere valerent? Pugnaverunt tamen donec in eis spiritus mansit. Cesserunt tandem corpora; non vero illorum spiritus. Pro Patria, ac pro Catholica fide ab eius inimicis necati sunt; proindeque moriendo, gloriose triumpharunt. Mirandum quidem facti sunt hominibus spectaculum, Patriaeque summum Decus, & Ornamentum. Sed quorsum

haec communia in hac speciali nuncupatoria Epistola? Quorsum? Versus ipsum propositum quod Epistola. Nam praesertim, ac praecipue *TUIS* Marinis, & Castannis haec gloria actio semper adscripta est, quia ex illis plures quam ex aliis in ea pugnarunt, atque plures interfici sunt, ut immemorialis, & constans fert traditio.

Si ad antiquiora, & remotiora saecula gradum faciamus, *TUORUM* non solum maximam antiquitatem, sed etiam excelsam nobilitatem reperiemus. Anno enim 1266. Alfonsus Castellae Rex, cognomento Sapiens, Ditioni Imperii sui subiugatis huius regni Murciensis Mauris, eius populos habitatoribus, seu incolis, ex suis Militibus, & Equitibus nobilissimis implevit, quibus terras, & praedia Murciensis Civitatis distribuit; quorum duo fuerunt *Rodericus Ordoñez*, et *Garcia Ordo-*

ñez (a). Alios plures ex TUO Genere antiquiores referunt Hispanicae Historiae , celebres quidem & Clarissimos Viros , belli , pacisque artibus instructos , praecipuis Patriae honoribus decoratos , infulisque conspicuos bene multos : strenuos Duces , non solum Ordinum Militarium Insignibus ornatos , sed & eorumdem Ordinum Magisteriis decoratos . Nonnullos dumtaxat nominabo .

Lucius Marinus Romanus , Vír antiquissimus , & Clarissimus , á quo (iuxta graves Auctores , (b) nobile Marianorum Genus in Italia , & Hispania originem duxit ; ex quo plurimi Illustrissimi Viri prodierunt . Unum non praetereundum silentio existimavi . Hic

(a) Cascales Histor. Murc. fol. 30. Histor. Ciez. cap. 8.

(b) Argote de Molina lib. 2. cap. 36. & 85. Cascal. fol. 353.

est RR. P. Fr. Petrus Marinus , Lector
Jubilatus , Apostolicus Concionator,
Sacri Montis Syon Guardianus , Ter-
rae Santae Custos , & Commissarius
Apostolicus , ac demum totius Ordini-
nis S. P. N. Francisci Minister Gene-
ralis.

D. Gonzalius Ordoñez (*Garciae Or-
doñez Villae Maioris , & Zeladae Do-
mini Germanus*) Militaris Ordinis S.
Jacobi Magister Generalis. *Frey D. Pe-
trus Ordoñez* Commendator Caracue-
lis , Calatravensis Ordinis , qui unus ex
duobus fuit , quos huius Ordinis Ma-
gister Generalis Romam misit , ut Ro-
manum Pontificem de Ordinis statu
informarent : unde tunc Ordinis Re-
gulam (quae tertia fuit) secum atule-
runt. *Frey D. Ferdinandus Ordoñez* (a)

(a) *Mariana Histor. Hispan. tom. I. pag. 308.*
& 346. Rada Cbran. trium Ord. Milita. pag. 22,
& seq.

(XVI)

eiusdem Calatravensis Ordinis Clavariorum, Commendator, & Magister Generalis duodecimus, qui & Sancto Regi Ferdinando in bellis adversus Mauros assiduum, inseparabilem, ac fidelissimum comitem se adhibuit. Alios ex hoc nobilissimo Genere omitto Clarissimos Viros.

D. Ferdinandus Gomez Padilla in praeliis adversus Mauros Celebris Dux.

D. Petrus Joannes Garcia de Padilla Ordinis S. Jacobi Magister Generalis.

D. Petrus Garcia de Padilla Calatravensis Ordinis Comendator. *D. Garcia Lopez de Padilla* eiusdem Ordinis Magister Generalis (a).

Aliis denique omissis è TUO Genere Illustribus Viris, duos tantum moderno tempore dignitatibus Ecclesiasticis Illustrissimos superaddo. RR. et

(a) Sandoval Chron. Regis D. Santii VII.

Illustrissimus D. D. Fr. Didacus Ordoñez nostri Seraphici Ordinis Commissarius Generalis , postea Episcopus Oscensis , ac demum Salmanticensis.
Illustrissimus D. D. Franciscus Delgado Archiepiscopus Hispallensis , Capellanus , et Maior Eleemosynarius nostri Catholici Regis Caroli III: , suorum Exercituum Vicarius Generalis , Magnus Cancellarius , Regalis Ordinis eiusdem Regis Caroli III. Cruce Maxima insignitus , Indiarum Patriarcha , &c.

Huic demum , quam delibavi Familliae *TUAE* saecularis nobilitatis , & gloriae , nequid excelsnm in *TUA* Gente deesset , vera nobilitas virtutis etiam accessit. Hoc quidem praeter plura iam aducta , abunde , cumulateque probant tot *TUORUM* officia , & opera virtuosa : tot Sanctae Inquisitionis Familiares ; tot pauperibus , Religiosisque



(XVIII)

domibus eleemosynae & donationes faciae ; tot piae memoriae fundatae : pauperum aegrotorum Domicilium in hoc Ciezenzi Oppido á D. Francisco Ruiz Melgarejo , Oranensis Praesidii olim Gubernatore , institutum : insuper eiusdem Oppidi Conventus Monialium Discalceatarum Sanctae Matris Clarae ab exemplari Sacerdote , Matris TUAE patruele , D. Mathia Marin Blazquez á fundamentis erectus ; cuius germana Soror Mariana á Nativitate fuit illius spiritualis Fundatrix , primaque Abbatissa per plures annos usque ad eius mortem cum opinione sanctitatis. Alios plures ex TUO Genere recensere possem Virtutibus Illustres ; unum tamen non silebo (in quo mille continentur) vldelicet , Magnum Parentem nostrum Dominicum , Incliti Ordinis Praedicatorum Fundatorem , Ordonnanziorum Decus , & Ornamentum maxi-

mum, utpote ex hoc Clarissimo Ge-
nere oriundum: fuit enim pronepos
D. D. Ximenae Ordoñez, Bermudi Se-
cundi Legionensis Regis neptis (a).

Nunc autem ad *TE* loquar cum
Chrisostomo (b): *Licet longam Proge-
nitorum Tuorum seriem, et quidem cla-
rissimam numeremus, in his glorian-
dum non est, nisi eorum virtutes su-
perare contendamus, scientes aliorum
opera nihil in iudicio profutura; ve-
rum graviter condemnatura, cum op-
timorum parentum filii, & domesticis
exemplis eruditi, nihil profecerimus.
Ait etiam ipse Chrisostomus (in Math):
*Quid prodest, quem sordidant mores,
generatio clara?**

Verum *TU* non sic: *á TUIS* quidem
Maioribus non degenerasti: *TUORUM*

*** 2

(a) *Magist. Serapin. in vit. S. Dominic. in siv.
dissert. 1.*

(b) *Homil. 20. in Job.*

sanguinis puritatem , & claritatem neque inquinasti , neque obscurasti ; immo *TUIS* moribus , virtutibus , dotibus , & praeclaris factis conservasti , ac novis splendoribus illustrasti . A primis quidem annis bonae indolis , sublimis , clarique ingenii non obscura praestitisti indicia , literisque addictus , post humaniora studia , in *Celebriſ* *Fulgentii Murciensi Collegio* collocatus , inter praestantiores illius Theologos , & Juristas communi peritorum iudicio , atque elogio recenseri meruisti . Deinde propter *TUAM* egregiam Juris peritiam , ingenii subtilitatem , ac perspicuitatem , quibus obscuriora pervadis , faciliter explicas , implicatoria dissolvis , atque propter *TUAM* in rebus gerendis exquisitam dexteritatem , plures in iudicio victorias reportasti , magnumque Advocati nomen obtinuisti .

Et quid dicam de *TUA* pietate? Quid de *TUA* urbanitate, & afabilitate? Quid de *TUA* humanitate, & charitate? Quidque de tua munifica largitate? Calcaribus quidem non indiges, ut largiaris, immo dicere audeo freno potius. Ex his omnibus communem venerationem, simulque amorem, & benevolentiam assequeris. Unde non solum Oppidanis, sed etiam exteri ad *TE* confugiunt, ut *TE* consulant, & eorum negotia, & causas dirigas, vel protegas, vel defendas. Quid enim gravis, vel ardui momenti in patria agitur, cuius *TU*, non Consultor nude, sed veluti transigendae litis arbiter non se deas? Sic tuis consiliis, & prourationibus, in summo rerum discrimine, dum gravia dissidia ardent, *TE* agente, foelix, faustusque respondet evenitus.

Alias sileo vistutes *TUAS*, ac in-

signes dotes , quibus ornaris , ac deco-
 raris ; silere autem non debeo , **TUUM**
 erga nostrum Catholicum Regem Ca-
 rolum IV. (quem D. O. M. diu inco-
 lumen servet) eximium amorem , no-
 bilissimam fidelitatem , & ardentissi-
 mum eius Regii famulatus zelum (quae
 omnia cum sanguine ex **TUIS** Proge-
 nitoribus hausisti). Plures quidem hu-
 ius rei significaciones iam praebueras
 in Gubernatoris munere , quod diu
 gesisti , ac demum id maximis argu-
 mentis demonstrasti . Cum enim duos
 tantum filios à Domino suscepisses ,
 Primogenito patrimonii Domus **Tuae**
 heraede unice **TIBI** reservato , al-
 terum Regi nostro ad eius Milita-
 rem famulatum obtulisti , qui in piae-
 senti bello adversus impios , & in-
 sipientes Gallos , ut emeritus Sig-
 nifer fideliter militat . Insuper eidem
Catholico Regi nostro in subsidium

pro dicto iustissimo bello , pecuniae summam magnam , & annuam , atque pro tempore huius belli , magna liberalitate , & generositate obtulisti.

Iam igitur , Ornatissime Vir , *TUA* beneficia , *TUA* Ornamenta , tum haereditaria , tum acquisitiva cum laudibus , quamvis strictim , & sumatim , enarravi . Si in hoc *TIBI* displicui , quia illa recondita , & celata concupiebas ; laudo quidem modestiam *TUAM* ; at non condennes gratitudinem meam . Huius enim virtutis actus sunt beneficia , ac Benefactorem laudare , & publicare ; atque interdum etiam Benefactore reluctantete . Quamuis enim homini illi , qui surdus , & mutus fuerat , Christus Dominus praeceperisset , ne miraculum divulgaret : ille tamen gratitudinis affectu commotus , silere non valens , miraculum publicabat .

(Math. VII. v. 16.) Docemur ex hoc
(inquit Theophilactus) cum alicui be-
neficia largimur, minime aplausus, &
laudes petere; cum vero accipimus be-
neficia, benefactores praedicare, & lau-
dare, quamvis nolint.

Sed Deum praesertim omnes debe-
mus laudare, atque illi pro omnibus
beneficiis gratias agere. Deus enim est
Auctor, & Dominus omnium bonorum:
Deus est Summus Benefactor noster,
immo omnia bona, quae habemus, si-
ve naturalia, sive gratuita, sive for-
tunae, sunt eius beneficia, iuxta illud
Apostoli (1. Cor. 4.) quid habes quod
non accepisti? Scilicet a Deo quasi di-
cat nihil, inquit S. Antoninus (a). Et
addit: *De bonis temporalibus, sive*
substantiae, sive famae, sive potentiae,
sive dignitatis, gratias agere oportet.

(a) Part. 4. tit. 5. cap. 12.

tet, cum Dei beneficia sint, & ut ait
Salvator, cui multum collatum est,
plus exigetur ab eo. Id ipsum con-
siderabat Magnus Augustinus (*a*) et
dicebat: *Opportet me Domine tan-*
to tibi gratiosum, & devotum, promp-
tioremque ad serviendum existere,
quantum de tantis beneficiis obliga-
tionem conspicio in reddenda ratio-
ne.

Tandem, Ornatissime Vir, benig-
nitatae qua soles, hoc munusculum,
parvumque obsequium suscipe, quod
in significationem meae erga TE grati-
tudinis, propter tot a TE mihi colla-
ta beneficia, *TIBI* ex corde offero.
In illorum retributionem Deus bene-
ficiis *TE* cumulet in terris, piae-
miumque aeternum donet in Coelis.

(*b*) *In medit. cap. 12.*

(XXVI)

TE sospitem , & in columem diu tueat-
tur Deus.

TIBI addictissimus , & obsequentissimus

Fr. PASCHALIS SALMERÓN.

Praefatio, & monita ad Lectores.

I Forte non deerunt Theologi , qui auditio praesentis Dissertationis titulo , cogitent , aut praesumant , scopum illius esse , Probabilismi doctrinam , iam ubique communissime rejectam , denuo excitare , fovere , ac communire. Et quidem haec suspicio miranda non esset , cum Probabilismus , *sententia benigna* communiter fuerit appellatus. Qui tamen hoc cogitarent , à vero huius Dissertationis scopo multum aberrarent. Probabilismi doctrinam , in *Luminar. Theolog. Moral. dissert. de Probabilismo* , iam improbavi , & propulsavi ; atque in praesenti Dissertatione non nisi ad eius laxitatem , & falsitatem ostendendam , & reiiciendam , verba faciam. De alia quidem opinandi benignitate valde diversa , de illa nempe , quam antiqui Sapientes tradiderunt , in praesenti Dissertatione agere intendo.

II Prius tamen , quae me ad hoc induxit , ac impulit , rationem aperiam , ac exponam , ut sic satisfaciam nonnullis Theologis , quibus hic meus labor non arridebit. Ea enim est aliquorum indoles , ut opinandi severitas illis sit summe grata ; benignitas vero iniucunda. Hi in coercenda , ac restringenda opinandi benignitate suum studium , vigilantiam , zelumque exercent , de coercendo tamen nimio opinandi rigore nihil , aut parum curant , quasi solum in laxando iniustitia , atque

(XXVIII)

peccatum esse possit; non vero in restringendo, & obligando; sed in hoc totum sit iustitia, virtus, atque securitas. Qui tamen ita sentiunt, ingenter falluntur; cum utroque extremo, & nimiae benignitatis, & nimii rigoris in opinando iniustitia sit, atque peccatum.

III Ad rem peregregie S. Ambrosius (in Ps. CXVIII.) ait: *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei s*ed non secundam scientiam, stauentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. *Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinae, opus virtutis exigere: sed inscita in eo est, quia non compatiuntur naturae.*

IV Sicut enim non solum iniuste, & male agit, qui laxe opinando, aliquem solvit ab obligatione restituendi, quam revera habet; ita etiam similiter iniuste, & male agit, qui nimis rigide opinando, aliquem obligat ad restituendum, quod revera non tenetur. Id ipsum accidit in dubiis, & opinionibus circa omnes leges, & circa omnia praecepta. Non solum enim est iniustum, & malum nimis laxare in opinando; sed etiam nimis stringere, & coarctare. Nimis enim laxando tolluntur leges, & praecepta; restringendo nimis, impoununtur praecepta, & onera, quae non sunt, nec imponi debent. Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, uterque est abominabilis apud Deum. (Proverb. XI.) Dicit etiam S. Bernard. (de consider. lib. 2. circ. fin.): *Non eris innocens, si aut punias, cui forte parcendum est, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.*

V Merito igitur dixit Auctor *Censurae Censurae*:
 „Nostrum non est stringere , vel laxare , nec obli-
 „gationem addere , nec tollere ; sed veritatem,
 „quae aliquando stricta , & severa diligenter in-
 „quirere , ac secundum eam sinceriter , ac fidelis-
 „ter docere: aequa enim flagitosum est , velle
 „aliquid legi Dei , vel addere , vel adimere ; nam
 „aequaliter prohibetur in Deuteronomio , nequid
 „addatur , vel detrahatur de p[re]ceptis Dei. Et
 „aequaliter Isaias comminatur , ac dicit : *Vae illis*,
 „qui dicunt bonum malum ; & malum bonum. Utrin-
 „que ergo periculum imminet ; & in stringendo,
 „& in laxando peccari potest , si Theologus erret,
 „& per ignorantiam invincibilem non excusetur.“

VI Quapropter Theologi non solum laborare
 debent in improbando , & refutando opiniones ni-
 mis benignas , & nimis laxas ; sed etiam nimis
 duras , & nimis strictas , ac rigidas ; nimis enim
 benignis , ac laxis corrumpuntur boni mores ; ni-
 mis strictis , & rigidis iniiciuntur animabus laquei,
 & saepe incident in peccatum. Veritatem quaerere
 debemus , haec autem non semper invenitur in
 doctrinis , & opinionibus rigidis , sed etiam in be-
 nignis. Ait enim Propheta (Ps. XXIV. v. 10.): *Universae viae Domini misericordia , & veritas,*
requirentibus testamentum ejus , & testimonia eius.
 Et Div. Bernardus (in Ps. Qui habitat): *Neque*
veritatem tenent , qui misericordiam (ubi vere est)
non agnoscit. Quapropter hic meus labor severis
 Theologis ingratus , aut iniucundus esse non de-
 bet , cum non ad opinandi laxitatem favenda

sed ad iustum opinandi benignitatem ostendendam, moderno tempore obscuratam, solum dirigatur.

VII Opinio enim *benignior* in utroque Jure, in scriptis SS. Patrum, & antiquorum Theologorum, sonat cum approbatione, & laude, ut ex auctoritatibus postea adducendis constabit. De illa etiam similiter loquuntur utriusque Juris, Civilis, & Canonici tum antiqui, tum moderni Doctores. Recentiores autem Theologi quamvis pro, & contra opinionem benignam moderno tempore inventam loquuntur; de opinione tamen benigniore antiquorum tacent. Huius silentii causa haud difficulter conjectari potest. Moderno namque tempore ortus est Probabilismus, qui nimiam opinandi laxitatem, & benignitatem invexit; apparuit postea Tutilorismus, seu Rigidismus, qui è contrario nimium in opinando rigorem induxit. Contra utrumque nimiae laxitatis, nimique rigoris extremum insurrexerunt plurimi Theologi, ad utrumque confutandum, ac reiiciendum, commotaque fuerunt inter Theologos praelia, quae magno ardore, per duo fere saecula continuata sunt, praesertim adversus Probabilismum, cuius doctrina, utpote humanae naturae commoda, plurimos habuit, ac extenuos, ingeniosos que sectatores, qui pro illa tanto ardore, atque tam longo tempore certarunt, adversus Anti-Probabilistas, medium inter rigorem, & laxitatem sententiam sustinentes. Anti-Probabilistae vero tandem foeliciter triumpharunt; nam Tutilorismus, seu Rigidismus fuit reprobatus, & Probabilismus iam ubique communissime rejectus.

VIII Hae modernorum Theologorum controversiae , ac disputationes proculdubio causa sunt silentii ab illis observati circa opinionem benignorem , de qua Juristae , & antiqui Theologi frequenter mentionem faciunt . Cum enim Theologi sanae doctrinae defensores , ac conservatores , nimurum Anti-Probabilistae , in illis controversiis summa ardore , ac tempore adeo longo essent implicati , vix tempus illis supererat , nisi ad illud , quod magis urgebat , videlicet , ad suam sententiam medium sustinendam , & ad alias vel nimis rigidas , vel nimis benignas refutandas . Deinde omnia tempus habent (Eccle . 3 .) . Et est tempus tacendi , & tempus loquendi . Tempore autem illo valde serpebat nimia opinandi benignitas , & laxitas ; unde non erat tempus loquendi , nisi ad coercendum , restringendumque benignitatis excessum , quem Probabilistae docebant , & propugnabant . Hoc enim tunc urgebat ; alia vero quae de opinione benigniore tradere poterant , inveniebantur , ac conservabantur in utroque Jure , ac in antiquioribus Theologis , ubi videri , legique poterant . Huiusmodi insuper silentio , Anti-Probabilistae , veluti declinantes in extremum imbenignitatis , & rigoris , melius poterant Probabilistas a nimiae benignitatis extremo revocare , & ad iustum medium trahere , nam via deveniendi ad medium est declinare in alterum extremum .

IX Anti-Probabilistae itaque moderni universam suam curam , diligentiam , & industriam in confutando nimio opinandi rigore Tutiostarum ,

& releganda nimia benignitate , & laxitate Probabilistarum , praesertim locarunt , quod denique foeliciter consecuti sunt , ut patet ex sequentibus propositionibus iam ubique à Theologis communissime receptis.

X Prima propositio : *Licitum est absolute loquendo , sectari opiniones notabiliter probabiores , etiam minus tutas.* Haec propositio est contra Tutoristas , qui asserebant , numquam licere sectari opiniones minus tutas , etiam probabiores. Dicatum est absolute loquendo , quia in aliquibus materiis , & ubi occurrit dubium practicum teneri debent opiniones tutiores , ut postea dicetur in praesenti Dissertatione.

XI Secunda propositio : *In concursu opinionum oppositarum , quarum una est probabilior , & tutior altera , non licet sequi minus probabilem , & minus tutam , absolute loquendo ; solumque licet tunc sectari Probabilitem , & tutiorem.* Haec propositio est adversus Probabilistas , qui oppositam propositionem stabilierunt.

XII Tertia propositio : *In concursu opinionum oppositarum , & aequaliter probabilem , non licet sequi minus tutam , sed solum tutiorem , absolute loquendo.* Haec propositio est etiam adversus Probabilistas , qui sine debitis restrictionibus , asseverabant , licitum esse usum opinionis aequae probabilis , & minus tutae. Vid. quae de his tribus propositionibus dixi in *Luminar. Theolog. Moral.* tom. 2.

XIII Per istas tres propositiones iam ubiquè

communissime à Theologis receptas, expulsae sunt
tenebrae TUTORISMI, & PROBABILISMII, quae Theo-
logiam Moralem moderno tempore obscurabant.
Opinio autem *benignior*, cuius mentionem faciunt
JUS CIVILE, & CANONICUM, atque antiqui Theo-
logi, tenebris TUTORISMI, & PROBABILISMII etiam
fuit obscurata, atque adhuc obscurata invenitur,
quamvis non omnibus, sane tamen pluribus. Non
quidem mihi videtur obscurata JURIS CIVILIS, &
CANONICI PROFESSORIBUS: neque obscuratam esse
dico, eximiis, ac eminentibus Theologis, qui
magistralis libros, & modernorum, & antiquo-
rum Sapientum evolvunt, quique illorum doc-
trinas, reconditosque earum sinus capiunt, callent,
ac comprehendunt; obscuratam tamen esse asse-
ro, saltem vulgaribus Theologis. Ratio huius dis-
criminais est, quia leges, & textus utriusque JU-
RIS circa opinionem benignorem, inveniuntur, ac
traduntur in utriusque facultatis libris modernis,
sicut in antiquis. Non tamen ita est in libris Theo-
logiae MORALIS. In antiquis enim agitur de *opinio-*
ne benigniore; in modernis vero (quos vidi) al-
tum silentium observavi, quod quidem causae ex-
positae numero VIII. tribuendum puto. Cumque
Theologi vulgares moderni commuainter non le-
gent libros Theologorum Moralium antiquorum,
sed solum modernorum, in quibus non agitur de
alia benignitate opinandi, quam de moderna à
PROBABILISTIS inventa: hinc vulgaribus Theologis
modernis *opinio Benignior*, cuius mentionem fa-
ciunt antiqui Theologi, est obscurata, & incogni-

ta, ita ut nullam aliam opinionem benignorem agnoscere videantur, nisi opinionem benignam probabilisticam valde diversam. Accedit quod Probabilismus *sententia benigna* communiter fuerit appellatus: unde moderni Theologi vulgares dum *opinionem benignorem* audiunt, doctrinam probabilisticam existimant, seu opinionem benignam Probabilistarum.

XIV Hoc patebit, si interrogentur moderni Theologi vulgares, quid sentiant de doctrina sequentium propositionum benignarum: *opinio benignior, & suavior praferri debet: sententia humior est praferenda: semper in dubiis benigniora praferenda sunt: opinio, quae solvit, benignior est ligante, & liganti praferenda: inter duram, & benignam circa praecepta sententiam, benigna est potius, coeteris paribus, interpretatio facienda*. In dubio, utrum quis teneatur ad aliquid facendum, vel dandum, vel poenam subeundam semper eligatur *opinio benignior*, &c. Ego quidem non dubito, quod saltem plurimi Theologi moderni vulgares respondebunt, has propositiones Probabilismi doctrinam continere, vel sapere. Hoc autem falsum est, cum omnes illae, ante Probabilismi ortum traditae inveniantur, vel in Jure Civili, & Canonico, vel in antiquis Theologis (locis postea in praesenti Dissertatione allegandis). Saltem igitur respectu vulgarium Theologorum Recentiorum obscurata est *opinio benignior*, ab antiquis Sapientibus tradita.

XV Hoc cum animadvertissem, ac sepe con-

siderassem, de *opinione benigniore* antiquorum Sapientum cogitare, ac inquirere coepi. Cumque post repetitas investigationes, ac reflexiones, plures auctoritates, rationesquae invenissem, quae ad cognitionem *opinionis benignioris* non modicum lumen afferre mihi videbantur, illius investigationem prosequi, ac ex inventis, & inveniendis ad eumdem finem, specialem Dissertationem confidere decrevi, qua *opinio benignior* obscurata, & in tenebris collocata, fortasse clarificari, ac illustrari posset. Postea tamen in eius prosecutione tot, talesque difficultates inveni, ut ad incoerti operis prosecutionem animus interdum mihi fere deficeret, atque obscura spe suspensus consiterem. In utroque enim Jure de opinione benigniore dumtaxat nudi textus inveniuntur, & apud antiquos Theologos nudae auctoritates; atque haec omnia modernarum quaestionum tenebris obscurata. Natura, & proprietates *opinionis benignioris* erant inquirendae, iustitiae & misericordiae viae, & termini distinguendi, ac designandi. Uti enim ait S. Antonius Patavinus (serm. 3. post Pasch.) *Omnes virtutes debent babere terminos suos, ut regia via gradientes, ne declinent ad dexteram, vel sinistram; ne sub praetextu iustitiae crudelitas sibi locum vndicet, & remissa segnities mansuetudinis pallio se palliet.* Justitiae autem & misericordiae sinus penetrare, iura cognoscere, limites, ac terminos designare, res proculdubio est ardua, valdeque difficilis. *Misericordiam veitatem* (seu iustitiam) eius quis requireret? dicitur

***** 2



Ps. VI. v. 8. Maior autem est haec difficultas circa *opinionem benignorem* hoc tempore moderno, in quo nimio rigore opinandi Tutoristarum, nimiaque benignitate & laxitate Probabilistarum, limites, ac termini iustitiae, & misericordie sursum, deorsumque inversi sunt, supplantati, valde deleti, atque obscurati. Accedit, quod nullum Doctorem invenerim, qui in illustranda, pro dignitate, *opinione benigniore* praeiret, & in tanta obscuritate facem mihi praeberet. Quomodo igitur *Ego vir videns paupertatem meam* (ingenii mei nempe exiguitatem, ruditatem, & obscuritatem) rem hanc adeo arduam, ac difficilem aggredi non timerem?

XVI Haec dum animo evolverem, ac serio considerarem, a prosecutione concepti operis me retrahebant. Dum autem veniebat in mentem, illud fortasse utile esse posse, nam opinandi benignitas, si christiana, & iusta est, Deo non displicet, immo benignissimae eius conditioni est valde consona; Christi iugum magis suave facit, atque per illam, tum in Confessariis, tum in poenitentibus peccata formalia interdum vitari possunt, ad opus prosequendum charitas urgebat. Inter has autem contrarias cogitationes, diversosque affectus, veluti in bivio consilii constitutus, haerebam, quid facturus essem ignorans. Sed tandem opus prosequi, atque pro mea imbecillitate perficere constitui, timens silentio oboluta, ac veluti sepulta relinquere, quae ad illustrandam opinionem christiane *benignorem* forte poterant deser-

vire. Ait enim S Bernardus (sup. cant. seim. 18.):

*Rem profecto proximi retines tibi, si metu forte,
aut segnitia, aut minus discreta humilitate verbum
bonum, quod posset prodesse mulis, inutili, immo,
& damnabili ligas silentio.*

XVII Confeci igitur praesentem Dissertationem, in eaque, eructavi (utinam verbum bonum) quae ad cognitionem illustrationem, & rectum usum opinionis christianaee benignioris inveni, & excogitavi. Resolutionem principem, quam de ea stabilio, auctoritatibus, & rationibus firmo, ac munio. Quae autem adversus illam mihi occurrerunt argumenta, nec praetermitto, nec abscondo. Hoc enim mihi non liceret, cum in praeiudicium veritatis esse posset; quam, sive benigna, sive aspera apparuerit, piae omnibus diligere, querere, atque amplecti debet Christianus Theologus. Quare aequali cura, fidelitate, ac sinceritate, in hac Dissertatione propono, quae & pro, & quae contra doctrinam, quam stabilio, novi; paratus, ac promptus semper contrariam amplecti, si veritatis aspectus magis clare appa-
tuerit.

XVIII In Dissertationis progressu resolutorie loquor, affirmando, vel negando, inferendo, explicando, & ad contraria respondendo, quasi affirmatis, explicatis, ac propugnatis plene, & firmiter adhererem, ac consentirem; quod eo ipso, plures, ita esse, poterunt iudicare, atque doctrinam a me propositam mihi satis probabilem esse, atque in praxi tutam credere. Cum

camen in veritate ita non sit , mentem meam circa doctrinam in praesenti Dissertatione á me propositam , in veritate exponere volo , vel potius debo. Doctrina igitur , á me in Dissertatione proposita , mihi videtur rationabilis , & gravi inixa fundamento tum auctoritatis , tum rationis , & in hoc sensu illam propono. An vero sit satis probabilis Theologicé , id est , certo probabilior , & in praxi tuta , nihil definio , iudicium suspendo. Huius ratio mihi est , quia ad iudicandum de hac probabilitate , me ineptum , & insufficientem existimo. Non est enim quaestio haec philosophica , aut pure speculativa , sed moralis , & practica in cuius resolutione est peccandi periculum. Non est quaestio levis , sed magni momenti ; à nullo Doctore invenitur discussa specialiter , ex professo , ac pro dignitate , prout in praesenti Dissertatione fit. Plena est Dissertatione cogitationibus , comentationibus , ac sensibus propriis , à nulloque Doctore desumptis ; quare suspectum mihi est proprium iudicium , & illi inniti tuto non possum. Ne innitaris prudentiae tuae , dicitur in Proverb. (III. v. 5.). Et S. Augustin. (de civit. Dei.) inquit : *Ubi dixisti: meus sensus sufficit mibi , ibi defecisti. Ubi tuo consilio placuisti , ibi peristi.* Et S. Bonavent. (de sex alis Seraph. c. 7. de 5. ala) ait : *Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique christiano , scilicet , proprio sensui inniti , cune nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiae , qui non possit in aliquibus falli.* Inter alia difficultas ,

quae in hac Dissertatione explicantur, assignantur aliquo modo termini, ac limites iustitiae, & misericordiae; in quorum designatione, si omnem doctrinae securitatem promitterem, nimium mihi arrogarem, cum Bernardus (sup. Ps. *Qui habitat*) de his duabus viis Domini, *misericordia*, scilicet, & *veritate* (*seu iustitia*) loquens, de se dicat: *Puto & vias Domini vultis audire. Multum prae sumere videor, si me illas promiserο ostensurum.* Unde ineptum, & insufficientem me fateri, debeo, ad ultimum, & perfectum iudicium ferendum de probabilitate Theologica, & practica securitate doctrinae huius Dissertationis. Idemque de se iudicare debent illi Theologi qui doctissimi non sint, & in Theologia Morali versatissimi. Quaerunt enim aliqui Theologi: *Quis rescire possit, & ad quem spectet iudicare, an haec, vel illa opinio sit satis probabilis?* Et Lacroix (quamvis inter nimium benignos Theologos recensitus) lib. 1. de conscienc. quer. 24. sic respondet: „*De probabilitate intrinseca opinionis possunt iudicare soli doctissimi, & in re morali versatissimi, non autem mediocriter docti,* ita Tapia, Moya, Cardenas in 1. Crisi. d. 59. n. 4. Ratio est, quia ut sciatur, an haec opinio sit intrinsece probabilis, sciri debet, quid sit stricta probabilitas; item conferri debent motiva huius, & oppositae opinionis, ac considerari, an motiva pro hac non sint forte levia, dubia, aequivoca, sophistica, item an non pro contraria sint motiva certa; hoc autem

, non possunt cognoscere nisi viri doctissimi, &
in re morali versatissimi: g.^o

XIX Cum igitur ego non sim de hac homi-
num classe, ineptum, & insufficientem me iudi-
co ad ultimum, & perfectum iudicium ferendum
de probabilitate Theologica, & practica securi-
tate doctrinae huius Dissertationis; quare ab hoc
iudicio abstineo. Iudicent, qui recte possunt, &
sufficientes sunt, videlicet *soli doctissimi*, & *in
re morali versatissimi*, prout dicunt praefati DD.
Qui vero tales non sunt, a iudicando abstineant.
Ut autem circa hoc cauti sint Lectores, haec
monita praemittere volui, immo debui; praes-
sertim dum primo in lucem prodit haec disserta-
tio, & nondum mihi patet veritas; fortasse ta-
men postea apparebit, nam *Veritas disputando
invenitur*. L. Munerum. 18. §. mixta. Valete.

INDEX TITULORUM.

TRACTATUS PRIMUS.

DE LEGE DUBIA.

- QUAESTIO I. Quid , & quotuplex sit lex? pag. 1
- QUAESTIO II. De promulgatione legis. p. 11.
- QUAESTIO III. De interpretatione legum, ac de epikeia. p. 17.
- QUAESTIO IV. Quaenam lex sit observanda in concursu legum , quae opponi videntur? p. 21.
- QUAESTIO V. Utrum lex dubia obliget? p. 25.
- ARTICULUS I. Dubii , & legis dubiae, species proponuntur , & explicantur. p. 25.
- ARTICULUS II. Resolvitur quaestio de lege dubia quoad extensionem. p. 28.
- ARTICULUS III. Resolvitur quaestio de lege dubia quoad existentiam. p. 30.

TRACTATUS SECUNDUS.

De opinione Benigniore.

DISTINCTIO PRIMA.

De natura, proprietatibus, & conditionibus opinionis benignioris. p. 50.

- QUAESTIO I.** An in opinando , & resol-
vendo dubia circa leges,
& praecepta dumtaxat ven-
dicet sibi locum iustitia;
an vero etiam misericor-
dia , & benignitas ? p. 50.
- ARTICULUS I.** De misericordia , & benigni-
tate , ac de aliis virtuti-
bus , eis affinibus. p. 50.
- ART. II.** Quaestio resolvitur. p. 55.
- QUAESTIO II.** An benignitas in opinando
extendat se ad opiniones
aeque probabiles , atque
ad minus probabiles, etiam
minus tutas ? p. 59.
- ARTICULUS I.** Quaestio resolvitur. p. 59.
- ART. II.** Proponitur opposita senten-
tia cuiusdam Recentioris. p. 63.
- ART. III.** Impugnatur praedicta sen-
tentia. p. 66.
- ART. IV.** Nonnulla Recentioris argu-
menta dissolvuntur. p. 72.
- ART. V.** Alia solvuntur argumenta
Recentioris. p. 80.
- ART. VI.** Reliqua Recentioris argu-
menta exploduntur. p. 89.
- QUAESTIO III.** Quid , & quotupliciter sit opi-
nio benignior ? p. 100.
- ARTICULUS I.** Quid sit in genere opinio
benignior ? p. 100.
- ART. II.** De opinionibus , quae in Ju-

(XLIII)

re vocantur benigniores,
seu favorabiliores.

p. 102.

ART. III. An opinio , quae solvit,
benignior sit ligante , seu
obligante , & in quo sensu? p. 105.

ART. IV. Quaenam opinio , quae sol-
vit , sit christiane benig-
nior , & quas conditiones
ad hoc habere debeat? p. 120.

DISTINCTIO SECUNDA.

Quaestio unica , & princeps:

*An opinio aequa probabilitis , quae solvit ,
sit liganti , seu obliganti praefferenda?*

SECTIO PRIMA.

Quaestio resolvitur , & Resolutio auctorita-
te , & ratione probatur. p. 136.

ARTICULUS I. Sensus quaestionis exponi-
tur , & quaestio resolvitur. p. 136.

ART. II. Probatur Resolutio ex utro-
que Jure universaliter dis-
ponente , opinionem aequa
probabilem , & benignio-
rem oppositae opinioni esse
praefrendam. Unde etiam

***** 2

(XLIV)

- opinio aequa probabilis,
quae solvit, quando est
christiane benignior, pree-
ferenda est oppositae li-
ganti. p. 140.
- ART. III. Prosequitur asumtum arti-
culi praecedentis. p. 142.
- ART. IV. Probatur Resolutio aliquibus
Regulis generalibus Juris. p. 146.
- ART. V. Probatur, adducta Jura, le-
ges, & regulas debere in-
telligi non solum in foro
externo, sed etiam in foro
conscientiae. p. 142.
- ART. VI. Probatur Resolutio, specia-
liter quoad forum cons-
cientiae, auctoritate SS.
Ambrosii, Gregorii Na-
zianzeni, Cirilli, Leonis,
& Isidori. p. 156.
- ART. VII. Probatur Resolutio auctori-
tate SS. Raimundi, Anto-
nii Patavini, Thomae, ae
Bonaventurae. p. 159.
- ART. VIII. Probatur Resolutie ex Sub-
tili Doctore, ex Nicolao
de Lyra, ex Durando, at-
que ex Prologo antiqua-
rum Constitutioum Or-
dinis S. P. N. Dominici. p. 161.

(XLIV)

- ART. IX. Probatur Resolutio autho-
ritate S. Antonini, & alio-
rum, quos ipse allegat. p. 164.
- ART. X. Probatur Resolutio autho-
ritate SS. Bernardini Senen-
sis, Joannis à Capistrano,
& Angeli à Clavasio. p. 168.
- ART. XI. Probatur Resolutio autho-
ritate aliorum gravium
Theologorum. p. 173.
- ART. XII. Probatur Resolutio ex eo
quod videatur de mente
Supremi Legislatoris. p. 177.
- ART. XIII. Prosequitur asumptum ar-
ticuli preccdentis. p. 185.
- ART. XIV. Probatur Resolutio ex eo
quod, in sensu illius, lex
misericordiae, & benignita-
tis militat pro opinione,
quae solvit, tamquam lex
fortior, & praevalens, proin-
deque tunc est preferende
opinioni liganti. p. 186.
- ART. XV. Probatur Resolutio, quia
alias obligari lex stricte
dubia ad exisrentiam ex
praeisa ratione talis legis
stricte dubiae, contra com-
munem DD. sententiam. p. 193.
- ART. XVI. Probatur Resolutio, quia
eius doctrina videtur sana,

(XLV)

& iusta, probabilior, & tu-
tior resolventi pro directio-
ne alterius.

p. 200.

SECTIO SECUNDA.

*Argumenta tum ab autoritate, tum à ra-
tione dissolvuntur.*

p. 206.

- ARTICULUS I. Solvitur argumentum con-
tra jura allegata pro Re-
solutione p. 206.
- ART. II. Alia solvuntur argumenta. p. 218.
- ART. III. Alia diluuntur argumenta. p. 227.
- ART. IV. Prosequitur solutio argu-
mentorum. p. 241.
- ART. V. Alia propulsantur argumen-
ta. p. 246.
- ART. VI. Reliqua dissolvuntur argu-
menta. p. 251.

ERRATA MAGIS NOTABILIA.

<i>Pag.</i>	<i>Num.</i>	<i>lin.</i>	<i>Errata</i>	<i>Sic corrigē.</i>
		<i>marg.</i>		
5	14	5	sumponi	sumptionis
7	19	6	nececitatem	necessitatem
10	26	12	nagativa	negativa
13	12	8	Eirca	Circa
16	39	9	Cum	Eum
17	42	4	Probabilitas	Probabilibus
17	42	9	Probabili	probabilitas
18	45	9	non	novi
21	54	5	& iusta	& ista
22	56	6	potius debet	potius debes
33	80	3	á Probilistis	á Probabilistis
33	80	7	utrique	utrinque
34	81	4	estere	extare
35	84	13	antiquorum Theologos	antiquos Theologos
38	90	14	Quomodocumque	Quando- (cumque)
45	107	1	juxtapas	istas
46	110	11	oprimere	aprimere
51	113	10	Aficiunt	aficitur
65	145	11	doctum	ductum
71	155	2	Nam	Non
71	156	3	quam is	quamvis

Vide in fin. alia errata.

ERRATA MAGIS NOTABILITAT

	2º certis	3º	4º	5º	6º	7º	8º	9º	10º
seguirán	2	14	8						
matifican	6	15	5						
adquirir	15	26	27						
Cada	4	21	28						
una	10	22	23						
propósito	4	23	21						
despuntar	0	24	27						
con	8	25	26						
de	2	26	27						
ellos	0	27	28						
ellos	0	28	29						
ellos	4	29	30						
extraer	4	30	31						
equipo	1	31	32						
equipo	1	32	33						
Oromedonide	0	33	34						
Quando	0	34	35						
(cumplir)									
para	1	35	36						
deberán	1	36	37						
seguirán	0	37	38						
adquirir	1	38	39						
Más	2	39	40						
durante	3	40	41						

.



TRACTATUS PRIMUS

DE LEGE DUBIA.

QUESTIO I.

Quid, & quotuplex sit lex?

RESOLUTIO I.

I *Lex est decretum Legislatoris rationabile, & iustum, ad bonum commune ordinatum, cum intentione stabiliter obligandi subditos.*

¶ Dicitur *Decretum rationabile*, quia lex est actus voluntatis ab intellectu, & recta ratione directus. Dicitur *iustum*, quoniam lex debet esse iusta. Ait enim Augustinus: (lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5.) *mibi lex esse non videtur, quae iusta non fuerit.* Dicitur *Legislatoris*, quia non omnes Superiores possunt condere leges, sed illi dumtaxat, qui habent potestatem legislativam, ut Romanus Pontifex, Concilia, &c quoad leges

A

2 *De benignitate in opinando*
Ecclesiasticas ; Imperator , Reges , &c quoad Ci-
viles.

3 Dicitur etiam *ad bonum commune* , quia fi-
nis primarius legis est bonum commune Regni ,
Reipublicae , vel Corporis Ecclesiastici , vel Politi-
ci , quod ex diversis hominum statibus sub di-
rectione unius Superioris constituitur. Non tamen
requiritur necessario , quod lex feratur pro om-
nibus hominibus Regni , Reipublicae , &c , nam
lex ferri potest pro certo hominum genere illius ,
v. g. pro Mercatoribus , Militibus , &c.

4 Deinde dicitur *cum intentione stabiliter obli-
gandi subditos* , nam si Legislator non habuerit
intentionem obligandi , eius Decretum non habe-
bit rationem *legis* , sed *consilii*. Si vero habuerit
intentionem obligandi , sed non *stabiliter* , & dum-
taxat ad tempus , Decretum habebit solum ratio-
nem *praecepti* , non vero *legis*.

5 Quare hic nota , quod Lex differt á praecep-
to in sequentibus . 1. Lex semper imponitur ali-
cui Societati hominum , Nationi , Regno , Ordi-
ni Religioso , &c ; praeceptum vero saepe impo-
nitur particularibus personis . 2. Praeceptum po-
test imponi á quolibet Superiore ; lex vero solum
ab illis Superioribus , qui habent potestatem legis-
lativam . 3. Lex de se stabilitatem , & perpetuita-
tem importat ; unde & praesentes , & futuros

respicit, & post mortem legislatoris subsistit; praceptum vero stabilitatem non importat, & expirante praecipiente, expirat.

6 Nota etiam, quod lex, & praceptum differunt a consilio in hoc, quod lex, & praceptum obligationem inducunt; non vero consilium. Hoc patet ex Apostolo (ad Corinth. 7. v. 12.) dicente: *De virginibus autem praceptum Domini non habeo: consilium autem do.* Item ex Hyeronimo (lib. advers. Jovinian.) sic loquente: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi vero praceptum, necessitas est servientis.*

RESOLUTIO II.

7 *Lex multipliciter dividitur, prout hic exprimetur.*

8 I. Dividitur in aeternam, & temporalem. Lex aeterna est *Ordinatio quoedam divinae voluntatis fixe determinantis, quae sint agenda, vel cavaenda a creatura rationali, ut debitum finem assecuratur.* Haec lex aeterna est regula regularum, & lex legum, a qua immediate, vel mediate derivantur omnes leges, iuxta illud Proverb. (8) *Per me Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt.* Et S. Augustinus (lib. de liber. arbitr. c. 1.) inquit: *In temporali lege nihil est.*

*iustum , ac legitimum , quod non ex lege aeterna
homines sibi derivaverint.* Et tom. 4. in Exod. lib.
2. q. 67. ait: *Lex Dei sempiterna est , quam con-
sulunt omnes piae mentes , ut quod in ea invenie-
runt , vel faciant , vel iubeant , vel vetent , se-
cundum quod illa incommutabili veritate percepient.*

9 Deinde quia in omnibus moventibus ordi-
natis virtus secundi moventis derivatur à primo;
sed lex Dei aeterna est ratio gubernationis in su-
premo Gubernante: g. necesse est , quod omnes
rationes gubernationis , quae sunt in inferioribus
gubernantibus, deriventur à lege aeterna , vel imme-
diate , vel mediate.

10 Obiic. Si ita esset , lex humana obligaret
jure divino , quod quidem falsum est: g. &c. Resp.
neg. ant. Quia solum illae leges obligant jure di-
vino , quas Deus per se , & immediate tulit.
Leges vero humanae , quae immediate prove-
niunt ab humano Legislatore solum obligant jure
humano.

11 Lex temporalis est , quae in tempore con-
dita est. Lex autem temporalis dividitur in natu-
ralem , & positivam. Lex naturalis est quodam lu-
men humanis mentibus à Deo , ut auctore naturae,
impressum , quo naturaliter intelligimus , ac cog-
noscamus ea , quae ex se conveniunt naturae ratio-
nali , & sectari debemus; atque ea , quae illi dis-
conveniunt , & fugere tenemur.

12 De hac lege loquitur Apostolus , dum (ad Rom. 2.) ait : *Gentes , quae legem non habent , ipsi sibi sunt lex ; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis , testimonium reddente illis conscientia ipsorum , & inter se invicem cogitationum accusantium , aut etiam defendantium.* Et ibidem ait: *Gentes , quae legem (scriptam) non habent , naturaliter ea , quae legis sunt , faciunt.*

13 Lex Positiva est , quae libere conditur à Legislatore Divino , vel humano. Quare lex positiva dividitur in *Divinam* , & *humana*. Lex positiva Divina est , quae à Deo libere est condita. Et dividitur in Mosaicam , sive *Veteris Testamenti*; & Evangelicam , sive *Novi Testamenti*. Lex Positiva humana est , quae à Legislatore humano libere condita est.

14 Et est notandum , quod lex divina idem praecipiens , ac lex naturalis dicitur *Divina naturalis* ; praecipiens autem aliquid , quod non est lege naturali sancitum , v. g. quod poeccati mortalis reus debeat sumptioni Eucharistiae praemittere confessionem , dicitur *Divina positiva*.

15 Notandae etiam sunt variae differentiae , quae dantur inter legem *naturalem* , & *positivam*.
1. Lex naturalis necessario imponitur ; lex vero positiva libere. Lex naturalis vetat , quae sunt *ex se mala* ; & jubet , quae sunt *ex se bona*;

6 *De benignitate in opinando*

Lex vero positiva jubet , aut vetat , quae *ex se non sunt mala*. Lex naturalis est omnium temporum , omnium Nationum , & omnium locorum; lex vero positiva est eorum tantum temporum, Nationum , & locorum , ad quae Legislator vult eam extendere. Deinde lex naturalis est immutabilis , non vero lex positiva.

16 Hic occurrit dubium , quale nempe sit *objectum materiale legis naturalis , seu circa quod illa versetur?* Dubium non est , legem naturalem versari circa primaria & generalia morum principia , per se nota , uti sunt : *Bonum faciendum: malum fugiendum: Quod tibi non vis , alteri ne feceris.* Nec dubium est circa alia principia non ita generalia , sed specifica , per se tamen nota , uti sunt , *Deus est colendus: justitia est servanda: nemo sine causa est laedendus.* Satis enim compertum est , legem naturalem versari circa conclusiones ex primis principiis moralitatis evidenter , aut certo deductas , seu *circa omnia praecepta moralia , quae fundant honestatem moribus necessariam* , sive dein proxime , vel remote inferantur ex primis principiis.

17 Ex illis aliqua facilius deducuntur , ut adulterium , furtum , blasphemia , aliaque in Decalogo prohibita , vel praecepta ; alia vero difficilius eruuntur , uti sunt praecepta negativa de vi-

tandis usuris, de duello, vindicta privata. Item praecepta positiva de servandis promissis, de eleemosyna, &c. Cum enim principii veritas contineatur in conclusione, hoc ipso qui unum praecepit, vel prohibet, necessario quoque praecepit, vel prohibet omnia in illo contenta, & per evidentem, vel certam illationem deducta.

18 Difficultas tamen est, an *Juris naturalis* obiectum sint ea quoque, quae quomodocunque sunt rationi consentanea, vel dissentanea? Et sunt non pauci, qui partem affirmativam tenent, eo quod judicent, honestum non distingui à justo; ac proinde omni rationi consentaneum, & honestum esse iure naturae praeceptum existimant, sicut praeceptum est justum.

19 Alii vero dicunt, id omne, & solum esse obiectum *Juris naturalis*, quod rationi non quomodocunque, sed simpliciter, & absolute est consentaneum, vel dissentaneum id est, quod ad finem, seu felicitatem naturae rationali debitam, ita est requisitum, ut fundet necessitatem in natura, vi cuius non possit non esse prohibitum, vel praeceptum, vel saltem permisum.

20 Pro quo advertunt, quod jus naturale tantum dirigit homines, quatenus sunt creaturae rationales, tenduntque ad felicitatem naturae rationali ita propriam & necessariam, ut sine hac



humanum genus foret defectuosum , & male constitutum ; vel *positive* , id est , negatis officiis perfectis erga *Deum* , se *ipsum* , & *proximum* ; vel saltem *negative* , nempe , per neglecta imperfecta officia .

21 Communis sententia tenet , quod praeter *principia generalia supradicta* , & praeter ea , quae ex illis evidenti necessitate , vel saltem certo deducuntur , non extendit se *jus naturale* . Quia alias (inquiunt) multiplicarentur praecepta naturalia absque certo , & manifesto fundamento ; ac deinde nulla darentur bona opera meri consilii , uti coelibatus , virginitas , eleemosyna extra extremam , & gravem necessitatem , vel positivum praeceptum . Praeter alios DD. vide Thadaeum Werenko de *Jur. natur.* part. I. sect. I.

22 Lex positiva humana dividitur in *Ecclesiasticam* , & *Saecularem* , seu *Politicam* , aut *Civilem* . Ecclesiastica est , quae fertur à Legislatore Ecclastico . Et alia est generalis , nempe , quae fertur à Romano Pontifice , vel à Concilio Generali . Alia est specialis , nempe , quae fertur à Concilio Provinciali , &c.

23 Lex positiva *saecularis* , seu *Civilis* est , quae fertur à Legislatore Civili , ut ab Imperatore , Rege , &c. Lex , quae obligat integrum *Provinciam* dicitur *Provincialis* , quae autem ur-

bem tantum obligat, dicitur. *Municipalis.* Lex, ad quam Legislator obligat suos subditos, quan- diu commorantur intra suum territorium dicitur *Localis*; si vero etiam dum sunt extra suum terri- torium, dicitur lex *Personalis*.

24 Deinde Lex alia est *Favorabilis*, & alia *Odiosa*. *Favorabilis* est, quae principaliter fertur in aliquorum favorem (distinctum intellige a bono Communitatis, quod quaelibet lex respicere debet) licet in alterius quoque odium redun- det. *Lex Odiosa* est, quae principaliter fertur in aliquorum odium, vel onus (intellige distinctum ab obligatione, & onere servandi legem; alioquin enim omnis lex esset odiosa, cum omnis impo- nat obligationem, & onus,) quamvis simul re- dundet in alterius favorem.

25 Insuper Lex tam naturalis quam positiva, alia est *afirmativa*, & alia *negativa*. *Afirmativa* est, quae praecipit aliquid faciendum. *Negativa* vero, quae aliquam actionem prohibet. Notandum tamen est, harum legum distinctionem in praxi non recte colligi ex solis vocabulis, quibus sepe proferuntur. Nam sepe verbis negativis profertur lex afirmativa, v.g. *die festo non omites sacrum*. Et sepe lex negativa profertur verbis afirmativis, v.g. *abstinebis a mendacio*.

26 Ad recte igitur cognoscendum, an lex sit *afirmativa*, vel *negativa*, observandus est finis, quem Legislator directe intendit in lege. *Si directe intendat alicuius actus humani exercitium, lex erit affirmativa.* *Si vero directe intendat alicuius actus humani omissionem, lex erit negativa.* Sic lex, die festo non omites sacrum, licet verbis negativis proferatur, est lex affirmativa, quia finis eius directe intentus, est positio alicuius actus, qualis est auditio sacri. Haec autem lex, *abstinebis à mendacio*, esto proferatur verbis affirmativis, est negativa, quia finis eius directus est omissio mendacii.

27 Ex dictis colligitur, quod quaelibet lex, quae directe est affirmativa, indirecte est negativa; non vero illa, quae directe est negativa, indirecte est affirmativa. Qui enim praecipit sacerdotalionem sabbathi, & honorationem parentum, indirecte prohibet profanationem sabbathi, & inhonorationem parentum. Non vero sequitur, quod illi, cui prohibetur homicidium, vel furtum, indirecte praecipiatur aliqua actio. Alia etiam notabilis differentia datur inter legem affirmativam, & negativam, nempe, quod lex *affirmativa obligat semper*; sed *non pro semper*, seu non pro omni tempore. Lex vero negativa obli-

Dissertati Juridica, & Moralis. 11
gat semper, & pro semper, seu pro omni tem-
pore.

QUAESTIO II.

De promulgatione legis.

RESOLUTIO I.

28 *Ut lex actualiter, ac de facto obliget, om-
nino necessaria est sufficiens illius promulgatio. Ita
omnes. Prob. ex L. 9. cap. de legib. ubi dicitur:
Leyes sanctissimae, quae constringunt hominum
vitas, intelligi ab omnibus debent. Et cap. de con-
cess. praeb. in 6. dicitur: Lex seu constitutio, &
mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad no-
titiam pervenerunt eorumdem. Si autem non pro-
mulgentur, intelligi non posunt, & conseq. &c.*

RESOLUTIO II.

29 *Ad obligationem actualem legum naturalium
requiritur, & sufficit saltem promulgatio, quae fit
per testimonium conscientiae propriae de legis exis-
tentia saltem probabiliore, seu verisimilior. Ita
Cl. Eusebius Amort in sua Thaeolog. Moral. tom.*

„ I. tract. 2. 3. quest. 3. quod sic explicat: „ Ma-
 „ ior autem verisimilitudo , aut credibilitas legis
 „ naturalis habetur , quando homo per lumen
 „ proprium rationis manifeste agnoscit , credibi-
 „ lius esse quod lex detur , & si ferendum esset
 „ prudens iudicium directum de existentia , vel
 „ non existentia legis , se potius iudicaturum,
 „ quod detur existentia legis.“

30 Vel (ut ait ipse Amort) ubi homo du-
 bits de existentia legis , videt , quod pro eius
 existentia stat sententia. Doctorum plerorumque,
 pietate , scientia , & autoritate illustrum. Ad Dei
 enim providentiam pertinet , subiectis saltem op-
 time dispositis , uti sunt DD. pietate , & scien-
 tia illustres , tantum naturalis legis lumen con-
 ferre , ut per eos notitia suarum legum natura-
 lium ad coeteros pervenire possit.

31 Resolutio prob. cum eodem Amortio:
 Deus vi suaे Providentiae , ad eam promulgatio-
 nem tenetur , qua lex fiat credibilior á singulis;
 & ad majorem promulgationem , qua existentia
 legis fiat moraliter certa (*certitudine perfecta*) non
 tenetur: g. requiritur , & sufficit circa leges na-
 turales ea promulgatio , quae fit in mente ple-
 rorumque Doctorum pietate , scientia , & autho-
 ritate illustrum.

32 Ant patet 1. Quia etiam in humanis Dominus non prudenter obligaret famulos ad sequendas suas voluntates , nisi quae probabilius , & credibilius dantur. Patet. 2. Quia illa obligatio probari nequit. Deinde quia de facto Deus in materia Religionis obligat ad eligendam evidenter credibiliorem. Insuper , quia experientia constat, circa plurimas leges naturales nullam dari morallem certitudinem (*perfectam*): igitur sufficit maior probabilitas de esistentia legum naturalium , &c.

RESOLUTIO III.

33 *Ad obligationem Legum Divinarum requiriatur saltem , & sufficit promulgatio per testimonium conscientiae propriae de legis Divinae existentia verisimiliori , seu credibiliiori , id est , dum homo, omnibus consideratis , iudicat , potius dari legem , quam non dari. Sic laudatus Amort loc. cit.*

34 Probatur ex eodem: Deus non tenetur, nec solet homini conferre certitudinem morallem (*perfectam*) de existentia suarum legum. Ergo cum non possit prudenter non velle observantiam suarum legum , manifestum est , eum velle ut homo observet suas leges , posita maiori probabilitate , seu credibilitate de existentia suarum

legum. Confirmatur , quia Deus obligat ad am-
plicetendam Religionem evidenter credibiliorem: g.
obligat Deus ad observandas suas leges evidenter
probabiliores , seu credibiliores. Vid. quae dixi
in *Luminar. Thaeolog. Moral. tom. 2. Dissert 3.*
de certitud. moral.

RESOLUTIO IV.

35 *Ut lex humana obliget non requiritur , quod omnibus , & singulis per speciale mandatum , vel litteras promulgetur , & intimetur ; sed requiritur , & sufficit promulgatio adeo publica , & solemnis , ut ad notitiam Communitatis commode pervenire possit. Ita in re communiter DD.*

36 Prob. quoad 1. partem , quia quod lex singulis specialiter promulgetur , & intimetur videtur regulariter impossibile. Prob. quoad utramque partem ex Canon. *Quod dicitis. dist. 16.* Et clarius ex cap. 1. de postul. Praelat. ubi Pontifex ait: *Non est necesse , cum constitutio solemniter editur , aut publice promulgatur , ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum , vel litteras inculcare ; sed id solum sufficit , ut ad eius observantiam teneatur , qui noverit eam solemniter editam , aut publice promulgatam , &c.*

RESOLUTIO V.

37 *Ut lex humana actu obliget, sufficit notitia solemnis promulgationis prudenter probabilior, & credibilior.*

38 Probat. 1. Quia hoc sufficit ad obligationem legum naturalium, & divinarum, ut supra probatum est: g. etiam sufficit ad obligationem legum humanarum. Prob. 2. Quia subditus tenuit facere voluntatem sui superioris, vel Domini ei sufficienter propositam; sufficienter autem proponitur, dum proponitur ut probabilior, seu credibilior. Dicitur enim Luc. XII. v. 48. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se praeparavit, & non facit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

19 Prob. 3. Quia cum lex humana aparet probabilior, & credibilior, est opinio etiam tutior, & tenemur sectari opiniones probabiliiores, & tutiores. Prob. 4. quia maior probabilitas est quaedam certitudo moralis; ergo cum lex est probabilior, & credibilior, est iam certa moraliter, ideoque ad obligandum ad eius observantiam non requiritur maior certitudo, juxta Regulam Iuris



31. *Cum qui certus est , certiorari ulterius non
opportet.* Vid. supr. num. 43.

40 Obiic. juxta S. Isidorum , Lex debet esse manifesta: g. non sufficit maior probabilitas de eius existentia , nec de eius promulgatione. Resp. quod debet esse manifesta , & certa saltem moraliter , aliqua certitudinē morali saltem imperfecta , quin requiratur certitudo , & manifestatio moralis perfecta. Dum autem existentia legis est probabilior , & credibilior , tunc lex iam est certa , & manifesta certitudine morali imperfecta , nam maior probabilitas est quaedam certitudo moralis licet imperfecta ; sufficiens tamen ut constet de existentia legis , ac de obligatione ad eius observantiam , ut supra propatum est. Vid num. 34.

41 Duplex enim est certitudo moralis , una perfecta , & altera imperfecta. Perfecta tunc datur , quando ad oppositum nullum est fundatum , saltem grave. Imperfecta certitudo moralis tunc datur quando datur maior probabilitas. Ita ex Philosopho docet Gerson (part. 2. de contract. proposit. 13.) his verbis: *In moralibus dicit Aristoteles , sumendam esse certitudinem grosse , & figuraliter: quae certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem , vel opinionem alicuius partis ; licet magis declinet ad istam , vel ad aliam , quod sufficit.*

42. Idem docet S. Antoninus (in sum. part. 1. tit. 3. cap. 10.) his verbis: *Non enim consurgit certitudo moralis (imperfecta) ex evidentiā demonstrationis, sed ex probabilitate conjecturis grossis, & figurabilibus, magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus.* Idem docet B. Angelus a Clavasio in sua *Summa Angelica* verb. *Opinio.* Et Eximius Doctor Suarez (lib. 8. de legib. cap. 3. n. 9. ait: *Maior probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit.* Vide Thyrsus Gonzalez *de rect. usu opinion. dissert.* 10. cap. ultim. Vid. dicenda a num. 201.

QUAESTIO III.

De interpretatione legum, ac de Episkeia.

43. Interpretatio legis est verbi, vel sententiae obseurae per aliud declaratio. Episkeia autem, seu Episkeia est benigna, & rationabilis declaratio, quod aliquis particularis casus ob suas circumstantias extraordinarias, attentis motivo, & intentione Legislatoris, in lege universaliter lata non sit comprehensus, licet attenta sola littera, comprehensus videatur.

44 Porro inter Episkeiam , & interpretationem
hoc est discrimen , nempe , quod Episkeia non
versatur circa verba legis obscura , sed circa men-
tem Legislatoris , secundum quam , licet verba
legis clara sint , subditus non obligatur in par-
ticulari ob suas extraordinarias circunstantias . In-
terpretatio autem exponit , ac declarat verba le-
gis dubia , & obscura , ex aliis principiis . Notan-
dum tamen est , quod , ut liceat uti Episkeia , re-
quiritur certitudo moralis de mente , & voluntate
Legislatoris ; nempe , quod Legislator in illo casu
non voluit , ob - extraordinarias illius circunstan-
tias , legem obligare , quod intellige de certitu-
dine morali perfecta .

45 Interpretatio fit duobus modis , nimirum ,
per modum *declarationis* , & per modum *supple-
tionis* . Per modum *declarationis* fit interpretatio
legis , quando verba ipsius per alia clariora ver-
ba exponuntur . Et haec dicitur interpretatio *litte-
ralis* , eo quod per ipsam verbum , & verbi sen-
sus , sive constructio , quasi grammaticaliter ad
litteram , seu intelligibilius exprimitur . Haec tamen
non est proprie interpretatio , cum nihil non
adducat , sed tantum id , quod verbis legis iam
inerat , aliis verbis clarius exponit ; ac proinde
potius censetur declaratio . Stricte enim loquendo ,

differunt declaratio, & interpretatio; nam interpretatio stricte, & proprie datur, quando a verbis legis receditur, & eiusdem mens ponderatur, ac paeponitur.

46 Per modum suppletionis fit interpretatio, quando declaratur obscuritas sensus, non spectando nudam litteram, & corticem verborum, sed verba, simulque mentem, & animam illius, & sic declarando, quod lex ad casum sit extensa, vel non extensa. Et haec proprie est interpretatio, supplens, quod verbis legis deerat, quamvis non menti. Nec aliud est quam ampliatio quaedam ex similitudine, vel identitate rationis. Sic graves DD.

47 Pro legum interpretatione plures a DD. assignantur regulae: hic tamen solum adducemus aliquas de lege poenali, & odiosa; atque de lege favorabili.

48 De lege poenali, & odiosa haec datur regula: *Lex poenalis, & omnis alia odiosa, in dubio stricte interpretanda est, nec regulariter extendenda ultra casum, & personas expressas.* Est communis. Et hoc intelligo de dubio stricto.

49 Prob. ex regula 49. de Regul. Jur. in 6. ibi. *In poenis benignior interpretatio est facienda.* Juncta regula 15. cod. *Odia restringi, & favo-*

De benignitate in opinando
res convenit ampliari. Notanter dictum est in du-
 bio, nam ut advertit noster Reinsfestuel, si ver-
 ba legis poenalis, aut alterius odiosae, eiusque
 mens adeo clara sunt, ut salva ratione recti ser-
 monis, non possint aliam interpretationem habe-
 re, lex illa erit observanda, prout desumitur ex
 L. Prospexit ff. Qui, & a quibus, &c. ibi: *Quod-*
quidem per quam durum est, sed ita lex scrip-
ta est.

50 Dicitur etiam in regula regulariter, &c.
 nam ut etiam advertit Reinsfestuel, licet huius-
 modi extensio regulariter, & ordinarie non sit fa-
 cienda in materia odiosa, & poenali, nihilomi-
 nus illa regula fallit, inter alia, ob identitatem
 rationis in lege expressae. Et similiter, quando
 ratio, quae in lege aferri potest, est unica, nam
 eo ipso ipsa ratio legis habetur pro sufficienter ex-
 pressa. Ratio unica censetur, propter quam ad
 sic statuendum Princeps motus fuit. Quando ve-
 ro de hoc est dubium, tunc stante dubio, non
 praesumitur quod sit ratio unica, ut sit licita ex-
 tensio, sed multiplex. Sic Reinsfestuel.

51 De legibus vero favorabilibus haec datur
 regula: *Leges favorabiles ampliori interpreta-*
tione sunt adjuvandae; sive in materia favorabili
verba accipi debent secundum amplam suam signi-

Dissertatio Juridica, & Moralis. 21
ficationem. Et hoc intelligo de dubio stricto.

52 Fundatur haec regula in regula 15. Jur in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Hoc tamen, prout advertit Reinsfestuel, est intelligendum, nisi aliud exprimatur, aut aliud appareat ex verbis legis, seu alterius dispositio-
nis, simulque exinde illusio statuti, seu disposi-
tionis sequi non possit.

QUAESTIO IV.

*Quaenam lex sit observanda in concursu
legum, quae opponi videntur.*

RESOLUTIO.

54 In concursu Legum, quae invicem videntur opponi, & quae simul observari non possunt, ob-
servanda est lex fortior.

54 Prob. 1. Ex Div. Gregorio (lib. moral.) dicente: *Dum mens per maiora, & minora poeca-
ta constringitur, & non est aditus evadendi,
minora semper elegantur.* 2. Quia lex ligat iuxta intentionem Legislatoris rationabilem, & iusta debet esse, ut lex fortior fortius liget, & prae minus forti observetur: g. &c.

55 Pro quo observa i. Quod leges negativaे fortius ligant quam affirmativaе eiusdem generis. Quia leges negativaе obligant semper , & pro semper ; non ita affirmativaе. Quare in concursu istarum legum omitendaе sunt leges naturales affirmativaе , ut observentur leges naturales negativaе.

56 II. *Leges naturales fortius ligant ; quam positivaе.* Ratio est , quia jus naturale vetat , quod ex se est malum , & iubet quod ex se est bonum. Quare in illarum concursu omittendaе sunt Leges positivaе , ut observentur naturales. Sic potius debet omittere auditionem Sacri die festo , quod est praeceptum positivum , quam proximum graviter aegrotantem solum relinquere , quando tua assistentia indiget , & ad eam ex lege naturali teneris. Vide Eusebium Amortium in sua **Tbaeolog. moral.** tom. i. tract. 2. §. 9.

57 II. *Leges positivaе juris Divini fortius ligant , quam leges positivaе juris Ecclesiastici: & positivaе Juris Ecclesiastici fortius ligant , quam positivaе Juris Civilis.* Siquidem lex Divina est fortior humana , & lex Ecclesiastica haud dubie praevalet Imperiali. Sic Sacramentum Eucharistiae in Missae Sacrificio semel incaeptum , perfici debet , iuxta Divinum Christi praeceptum ; qua-

re est observandum potius quam Ecclesiae praeceptum, quod Sacerdos non celebret nisi ieiunus. Unde in casu, in quo utrumque praeceptum non possit simul observari, ut in casu, in quo Sacerdos ieiunus post consecrationem in sincopem incideret, & sacrificium non posset ipse perficere, nec ad illum persiciendum adesset alius Sacerdos ieiunus, tunc Sacerdos non ieiunus deberet sacrificium perficere. Siquidem lex pure Ecclesiastica semper cedit, non solum legi naturali, sed etiam Divinae; nam Ecclesia non intendit quidquam statuere legi naturali, vel Divinae contrarium; nec intendit subditos suos obligare ad praefferendam suam legem in concursu legis naturalis, vel Divinae.

58 IV. *Praecepta magis necessaria fortius obligant, quam minus necessaria.* Sic non exponere salutem proximi, praeceptum est charitatis; non exponere sacramentum nullitati, praeceptum est Religionis; opportet itaque potius exponere Sacramentum nullitati, quam salutem proximi in urgenti necesitate. Quia Praeceptum caritatis magis urget, quam praeceptum religionis.

59 Sic non permittere perire infantem sine baptismo, praeceptum est Christi: baptizare in aqua vera naturali est pariter Christi praeceptum.

Ocurrit tamen infans proxime moriturus : non habes nisi aquam naturalem dubiam : debes potius baptizare in aqua bubia , quam permittere infan- tem sine baptismo decidere. Tutius enim est eum baptizare baptismo dubio , quam nullo. Ob idem principium absolutio datur in mortis articulo constituto , in dubio , an sit vere contritus , eoquod doloris signa tantum dubia preebeat. Melius enim est eum sic absolvere , quam non absolvere ; nam forte coram Deo erit vere contritus , validaque erit absolutio (quae sub conditione tunc praestanda est.) In tanto enim periculo , nempe damnationis aeternae , satius est sacramentum exponere periculo nullitatis , quam animam proximi periculo damnationis. Praeterquam quod , dum absolutio datur sub conditione , sa- cramentum non exponitur periculo nullitatis , quia eo ipso quod sub conditione impendatur absolu- tio , non intendit Minister absolvere , si poenitens non est satis dispositus.

QUAESTIO V.

Utrum lex dubia obliget?

60 **R**u utroque Jure , etiamque apud Theologos sonat haec propositio : *lex dubia non obligat*. Ex eius autem non recta intelligentia existimo, Probabilismum tamquam ex mala radice pullulasse. Dicta enim propositio videbatur aliquibus Probabilitatis argumentum insolubile pro suo laxo sistente. Quare ad plures aequivocationes in Theologia praesertim morali tollendas , valde opportet , specialem quaestionem de *lege dubia* , atque de eius obligatione instituere.

ARTICULUS I.

Dubii, & legis dubiae species propo-
nuntur, & explicantur.

61 **D**ubium nil aliud est quam suspensio iudicij circa obiectum apprehensum. Et duplex est, nempē , positivum , & negativum. Istud datur, quando ad dubitandum , seu ad judicium suspendendum non occurunt utrinque rationes , v.g.

D

26. *De benignitate in opinando*

in hoc dubio: an stellae sint pares. Hoc autem dubium propriè non est dubium, sed mera ne-
scientia, uti docet Div. Thom. in 3. dist. 23. q.
2. Vid. *Luminaria Theologiae*, *Moral.* tom. 2.
dissert. de natur. dubii.

62 Dubium positivum datur, quando circa objectum apprehensum occurunt rationes oppositae. Dubium autem positivum est duplex: alterum (N.B.) *strictum*, & *proprium*; & alterum *improprium*, & *latum*. Quando rationes ad dubitandum sunt inaequales, seu aliquae probabiliores aliis, tunc non est dubium strictum, & proprium; sed latum, & improprium. Quando vero rationes ad dubitandum sunt aequales seu aequaliter probabiles, tunc est dubium strictum, & proprium. Haec vix est qui ignoret; in praxi tamen plures ea nec considerant, nec atendunt; unde passim confundunt dubium improprium, & latum cum proprio, & stricto, & sic aequivocationes patiuntur. Opportet igitur prae oculis semper in dubiis habere distinctionem dubii stricti, & proprii; & improprii; ne utrumque confundamus, & in multis erremus.

63 Similiter lex dupliciter potest esse dubia, *dubio improprio*, & *lato*; atque *dubio stricto*, & *proprio*. Quando ad dubitandum de lege, dantur

rationes *inaequaliter probabiles*, seu aliquae aliis probabiliiores, tunc lex est *late*, & *improprius dubia*. Quando vero pro utraque parte dantur *opiniones aequaliter probabiles*, tunc lex est *propria*, & *stricte dubia*.

64 Lex autem potest esse dubia *quoad eius existentiam*, & *quoad eius extensionem*. Est dubia *quoad existentiam*, quando dubitatur, an detur, seu an existat lex. Et dubia *quoad extensionem*, quando, supposita legis existentia, dubitatur, an lex extendat se ad aliquem casum, seu an eum comprehendat.

65 Hinc Lex utroque modo dubia, nempe, *quoad existentiam*, & *quoad extensionem*, potest esse dubia *stricte*, & *propria*; atque *late*, & *impropria*. Si *quoad existentiam* legis dantur rationes, seu opiniones *inaequaliter probabiles*, tunc lex erit dubia *quoad existentiam dubio proprio*, & *lato*. Si vero dantur contrariae rationes, seu opiniones *aequaliter probabiles*, tunc lex erit dubia *quoad existentiam dubio stricto*, & *proprio*.

66 Similiter lex dubia *quoad extensionem*, erit dubia *dubio proprio*, & *lato*, quando utrimque sint rationes, seu opiniones *inaequaliter probabiles*. Si vero fuerint *aequaliter proba-*

*De benignitate in opinando
biles, lex erit stricte, & proprie dubia quoad
extensionem.*

ARTICULUS II.

*Resolvitur quaestio de lege dubia quo-
ad extensionem.*

RESOLUCIO I.

97 *Lex dubia tantum quoad extensionem du-
bio proprio, & lato, ita ut magis probabiliter
extendat se ad aliquem casum, seu illum compre-
hendat, obligat in illo casu; si vero magis pro-
babiliter non extendat se ad illum casum, seu
illum non comprehendat, non obligat in illo casu,
absolute loquendo.*

68 Prob. i. pars Resolutionis: quia cum tunc
lex supponatur certo existens, solumque dubia sit
quoad extensionem, dubio proprio, & lato,
ita ut probabilitus extendat se ad casum, opinio
pro extensione legis non solum est probabilior,
sed etiam tutior, nam militat pro lege; & opposi-
ta opinio est minus tuta, minusque probabilis:
igitur non licet istam sectari, sed altera proba-
bilior, & tutior est tenenda, ut contra Probabi-

listas docent Probabilioristae, & conseq. &c.

69 Prob. 2. pars Resol. quia quando lex magis probabiliter non extendit se ad aliquem casum, quamvis opinio sit minus tuta, est tamen probabilius, & licet eam sectari, quin sit tunc obligatio sequendi oppositam minus probabilem, etsi tutiorem, uti contra Tutoristas tenent coeteri Theologi; exceptis quibusdam materiais, in quibus tenemur sequi tutiora; quare in Resolutione dictum est, *absolute loquendo*.

RESOLUTIO II.

70 Lex dubia tantum quoad extensionem dubio stricto, & proprio, id est, dum pro, & contra extensionem legis ad aliquem casum, dantur opiniones aequae probabiles, obligat in illo casu, *absolute loquendo*; id est, nisi occurrat altera lex fortior, quae solvat ab obligatione, iuxta dicenda de opinione benigniori. Tunc enim, quae solvit est praferenda, &c.

71 Prob. Resolutio: Quia tunc opinio pro extensione legis ad casum est aequae probabilis, simulque tutior, nam militat pro lege; & uti tenent contra Probabilitas Probabilioristae, est obligatio sequendi opiniones aequae probabiles tu-

*De benignitate in opinando ac
tiores, saltem absolute loquendo. Nam aliter gene-
ratur dubium practicum, cum quo operari non
licet. Deinde tunc Legislator est in possessione
obligandi ad sua legis observantiam, qua posses-
sione spoliari non debet in dubio stricto, nam
in dubio melior est conditio possidentis. Item illa
possessio est certa, & certum non tollitur per in-
certum. Vid. quae dixi in *Luminar. Theolg. mo-*
ral. tom. 2. Dissert. de Probabilismo à num. 413.*

ARTICULUS III.

*Resolvitur quaestio de lege dubia
quoad existentiam.*

RESOLUTIO I.

72 *Lex dubia quoad existentiam dubio impro-
prio, & lato, ita ut probabilius, verisimilius, &
credibilius sit, non dari, seu non existere legem,
cum omnibus requisitis ad obligandum; actu per
se, & ex praecisa ratione tali legis non obli-
gat.*

73 *Prob. 2. Quia eo ipso, quod probabi-
lius sit, non dari, seu non existere talem le-
gem, certo moraliter non datur, seu non exis-*

tit talis lex, cum maior probabilitas sit quaedam certitudo moralis, ut ostensum est supra à num.

40. Igitur cum tunc non sit lex, nec est obligatio ad talem legem.

74 Prob. 2. Quia absolute loquendo non tenemur sequi opiniones tutiores, sed licite possumus sequi probabiliores, etsi minus tutas, ut contra Tutoristas tenent coeteri Theologi: igitur quando verisimilius, & probabilius est, non dari, seu non existere legem, non tenemur sequi opositam opinionem tutiorem, minus tamen probabilem, & consequenter nec observare illam legem, absolute loquendo; si autem lex illa sit in aliqua materia, in qua tenemur sequi tutiora, tunc erit obligatio observandi illam legem; quamvis non ex praecisa ratione talis legis dubiae sed ex lege alia certa, ex qua in quibusdam materiis tenenda sunt tutiora. Vide dicenda num. 243.

RESOLUTIO II.

75 Lex dubia quo ad existentiam, dubio impropio, & lato, ita ut probabilius, verisimilius, & credibilius sit, existere, aut dari legem, cum omnibus requisitis ad obligandum, actu obligat per se, & ex vi talis legis. Es t contra Probabilistas.

76 Prob. Quia maior probabilitas est quaedam certitudo moralis, iuxta dicta à num. 40. Igitur quando probabilior est existentia legis, lex est moraliter certa, & consequenter obligat ad eius observantiam.

77 Quod ad hoc sufficiat certitudo moralis imperfecta consistens in maiori probabilitate, probatur: nam haec certitudo sufficit, ut obligent leges naturales, & divinae, ut probatum est à num. 29. Deinde quia si non sufficeret haec certitudo moralis imperfecta consistens in maiori probabilitate de existentia legis, & necessaria foret certitudo moralis perfecta, nempe, contra quam non esset opinio probabilis, non obligaret lex, contra cuius existentiam daretur opinio dubie probabilis, nam eo ipso lex iam non esset moraliter certa certitudine morali perfecta, proindeque non obligaret, quodquidem nimis laxum est, ac falsum.

78 Obiic. cum Probabilistis: *In dubio melior est conditio possidentis*; sed lex in sensu Resolutionis est dubia: g. tunc melior est conditio hominis possidentis suam libertatem: g. tunc homo est liber ab obligatione illius legis, & consequenter non obligatur ad eius observantiam.

79 Respond. quod lex in sensu Resolutionis

non est proprie, & stricte dubia, sed tantum impropre, & late. Est enim certa certitudine quadam morali, consistente in maiori probabilitate de existentia legis, quae certitudo sufficit, ut lex obliget, ut supra probatum est.

80 Proloquium enim illud, *In dubio melior est conditio possidentis*, non recte extenditur a Probolistis ad dubia improoria, & lata, in quibus legis existentia est probabilior. Illud dictum *In dubio melior est conditio possidentis* intelligi debet de dubio stricto, & proprio, seu in quo ad dubitandum concurrunt utriusque oppositae rationes, seu opiniones aequae probabiles. Hoc patet ex illa Juris Regula: *In pari delicto, & causa potior est conditio possidentis.* Ubi ly in pari satis clare denotat parem, seu aequalem probabilitatem, proindeque dubium strictum, & proprium; non vero improrium, de quo procedit Resolutio. Vid. a num. 534. & *Luminaria Theolog. moral. tom 2. Dissert. 5.*

RESOLUTIO III.

81 *Lex dubia quoad existentiam dubio stricto, & proprio, ita ut dentur opiniones oppositae, & aequae probabiles circa legem antea latam, qua-*

E

34 *De benignitate in opinando*
rum altera asserat, legem illam iam non estare;
altera vero adhuc existere, obligat, per se lo-
quendo.

82 Prob. 1. Quia tunc quod lex fuit lata,
certum supponitur; quod autem iam non existat,
eo quod fuerit revocata, vel abrogata, incer-
tum, & dubium est: igitur adhuc obligat, si-
quidem certa pro incertis dimittenda non sunt. L.
cum Titio D. ad Falcid.

83 II. Quia tunc Legislator est in possessio-
ne obligandi per illam legem certo latam, qua
possessione spoliari non debet per solum dubium
postea suscitatum, nam *in pari delicto*, & *cau-
sa potior est conditio possidentis.* (Regul. Jur. 65.)

III. Quia tunc opinio pro existentia legis est
tutior, & aequa probabilis, proindeque est obli-
gatio ad eius observantiam, iuxta dicenda num.

243. 534.

RESOLUTIO IV.

84 *L*ex dubia quoad existenti am, dubio stricto,
& proprio, seu in quo dantur oppositae, & aequa-
les rationes, seu opiniones, quarum altera affir-
mat, legem fuisse conditam, & latam; altera
vero negat; non obligat per se, & ex praecisa

ratione tali legis stricte dubiae ; obligabit tamen ex ratione alterius legis satis certae , si haec occurrat. Haec Resolutio quoad primam eius partem satis constare videtur ex dicendis à num. 86. Et Eusebius Amort in sua Theologia Morali tom. 1. disp. 2. de conscient. qq. disput. q. 5. ait , hanc sententiam tacite insinuasse SS. PP. & antiquos ~~Theologos~~ Theologos. Consonant etiam Tysrus Gonzalez in suo Egregio opere de *recto usu opinionum* dissert. 14. n. 77. Et Antoine , & Charmes in respons. ad argum. Probabilistar.

85 Prob. Resolutio quoad 2. partem. Nam quamvis lex dubia in sensu Resolutionis ex se , & ex precisa ipsius virtute non obliget , potest concurrere tunc alia lex certa , ex qua obliget. Et saepe concurrit , nam saepe dubium huiusmodi est in aliqua materia ex illis , in quibus tenemur sequi tutiora ex lege certa. Quare tunc ex hac lege obligabit per accidens lex illa , quae ex se non obligat. Vid. dicenda de opinion. benigniore à n. 231. & quae dixi in *Luminar. Theor. mor. Dissert. de Probabilis.* à n. 488.

86 Prob. Resolutio quoad primam partem 1. Lex stricte dubia quoad existentiam in sensu Resolutionis , eo ipso quod sic dubia sit , est obscura , non clara , nec manifesta : atqui lex , ut

sit vera lex , & vim obligandi habeat , debet esse clara , & manifesta : igitur lex stricte dubia quoad existentiam in sensu Resolutionis nec est vera lex , nec ex se vim obligandi habet.

87 Min. multipliciter probatur. I. Ex Ps. 18. *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* II. Ex Apostolo ad Corint. 2. dicente: *Si incertam vocem det tuba , quis parabit se ad bellum?* Lex autem stricte dubia quoad existentiam est veluti quaedam vox incerta ; quomodo ergo obligabit ad eius observantiam ? *Stultissimi est bominis , praeceptis eorum velle parere , quae utrum vera sint , an falsa dubitatur :* & ideo nemo paret , quia nemo vult ad incertum laborare , inquit Lactanius lib. 3. Institut. cap. 24.

88 II. Ex utroque Jure. Ex L. 9. cap. de legib. ubi dicitur: *Leges santissimae , quae constringunt bominum vitas , intelligi ab omnibus debent.* Et ex cap. de concess. praeb. in 6. *Lex , seu constitutio , & mandatum nullos adstringunt , nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem.* Lex autem stricte dubia quoad existentiam ignoratur a subditis , nam dubius ab ignorantе non distat. L. Manifestissi. 22. §. Si autem nescius. cap. de furt. Item , ex cap. Cum Jure 31. de ofic. & potest. Judic. Delegat. *Nisi de mandata*

certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur. Insuper ex cap. Abate de verbor. signif. Lex non debet esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta (intellige saltem moraliter, iuxta dicta supra) Consonat Sapientissimus Benedictus XIV. Notific. 13. ubi ait: Non si debbono porre legami, quando no v. è una CHIARA lege ebe gl' imponga.

89 III. Ex S. Isidoro Hispallensi Episcopo (lib. 3. Ethimolog.) dicente: Erit autem lex honesta, iusta, posibilis, secundum naturam, secundum Patriae, consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, MANIFESTA quoque, ne per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communii Civium utilitate conscripta.

90 Prob. II. Resolutio, quoad primam partem: quando lex est stricte dubia quoad existentiam in sensu Resolutionis, tunc non est vera lex: g. tunc non inducit obligationem ad eius observantiam. Ant. prob. 1. ex Eusebio Amortio in sua *Teologia moral.* tom. 1. tract. 1. §. 4. p. quaest. 10. sic dicente: "Quandocumque datur aequalis probabilitas inter duas sententias oppositas circa directam existentiam legis, hoc dubium speculativum per dictamen reflexum, seu

„ concomitans potest tolli , & formari iudicium
 „ de non existentia legis. Probatur haec responsio
 „ ex eo , quia in tali casu possum formare hunc
 „ syllogismum , vel iudicium concomitans. Quod
 „ documque existentia legis non redditur credibili-
 „ lior non ipsa , moraliter certum est , non dari
 „ legem ; sed in hoc casu existentia legis non red-
 „ ditur credibilior non ipsa. Ergo. Mai. patet ex
 „ natura Providentiae divinae , quae sicut tenetur
 „ suam Religionem reddere evidenter credibili-
 „ rem , seu probabiliorem non ipsa , ita etiam
 „ tenetur suam legem reddere notabiliter credibi-
 „ liorem , seu probabiliorem non ipsa.

91 Praedictum ant. probatur 2. ex eodem
 Amortio (in sua *Teologia Ecclectica* tom. 1. dip.
 2. de conscient. qq. disput. q. 5.) dicente: Quan-
 do existentia legis est dubia dubio stricto , ob
 concursum opinionum contrariarum , & aequa
 probabilitum circa existentiam legis , vel eius pro-
 mulgationem , tunc non datur caracter insepara-
 bilis legis : g. tunc non datur lex actu obligans.
 Prob. tunc non datur sufficiens promulgatio le-
 gis ; sed sufficiens promulgatio legis est insepara-
 bilis caracter legis: g. Prob. mai. Illa sola est
 sufficiens promulgatio legis , qua lex fit credibi-
 lior non ipsa , & lex certitudine morali saltem

imperfecta promulgatur ; sed nulla certitudine morali promulgatur lex , cuius existentia est tantum aequa probabilis , sicut eius non existentia : g. &c.

92 Prob. alia ratione prima pars Resolutionis. Juxta Div. Thom. (i. 2. q. 30.) *Lex dicitur à ligando , quia obligat ad agendum.* Omnis autem obligatio probari debet ; igitur probari debet obligatio legis stricte dubiae quoad existentiam ; sed non probatur ; nam tunc non probatur existentia legis : g. &c. Prob. hoc : probatio existentiae talis legis est aequa probabilis tantum , & consequenter est probatio dubia ; sed *dubia probatio non dicitur probatio* , ut inquit Glossa in cap. in praesentia : g. &c.

93 Obiic. i. contr. 1. part. Resolut. Ex Div. Thom. (quod lib. 8. q. 6. art. 13.): *Quod agitur contra legem , semper est malum ; nec excusat per hoc , quod est secundum conscientiam :* g. malum erit agere contra legem dubiam , & consequenter erit obligatio ad eam observandam. Respond. i. retorq. argum. in lege magis probabiliter non condita , nec promulgata.

94 Resp. 2. dist. conseq. malum erit agere contra legem dubiam in sensu distincto à sensu Resolutionis , transeat ; in sensu Resolutionis sub-

dist. si occurrat altera lex certa , ex qua oriatur obligatio , conc. ; ex praecisa ratione legis strictè dubiae in sensu Resolutionis , neg. propter dicta. Ad auctoritatem Divi Thomae Respond. quod sensus illius est iste : agere contra legem semper est malum , vel *formale* , vel *materiale* ; non vero semper *formale*. Alias agere contra legem magis probabiliter non promulgatam , nec existentem esset malum *formale*. Ex argumento igitur ad summum probatur malum *materiale* , non vero *formale* , proindeque non probatur obligatio ad observandam legem in sensu Resolutionis.

95 Ad illud Divi Thomae , *nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam* , Respond. quod Angelicus Doctor intelligendus est de agente contra legem conscientia vincibili ; non vero si agat conscientia invincibili. Quod S. Thomas in hoc sensu loquatur , colligitur ex eo , quod ipse docet in 1. 2. q. 76. art. 2. his verbis : *Non autem imputatur homini ad negligentiam , si ne- sciat ea , quae scire non potest ; unde eorum igno- rantia invincibilis dicitur , quia studio superari non potest.*

96 Inst. 1. Illa ignorantia est vincibilis , nam potest vinci per orationem ; siquidem *Facienti*

Dissertatio Juridica, & Moralis. 41

quod est in se, Deus non denegat gratiam. Resp. 1
retorq. in opinionibus magis probabilibus, & mi-
nus tutis. Respond. 2. obiectum axioma, iuxta
Gravissimos Theologos, intelligendum esse de
necessariis ad salutem; non de omnibus aliis.

97 Inst. 2. Igitur in rebus necessariis ad sa-
ludem aeternam, si aliqua lex est stricte dubia
quoad existentiam, obligabit. Resp. dist. conseq.
obligabit ex praecisa ratione talis legis stricte
dubiae, in sensu Resolutionis, neg.; ex alia le-
ge certa, ex qua tenemur in necessariis ad salu-
tem fugere dubia, ac periculosa, & amplecti tu-
tiora, conc. Hoc autem expresse traditur in se-
cunda parte Resolutionis. Vid. dicenda num. 242.

98 Inst. 3. In aliis non necessariis ad salu-
tem, si lex illa stricte dubia, in sensu Resolu-
tionis, non observetur, datur periculum trans-
gressionis legis: g. debet vitari observando legem,
& conseq. datur haec obligatio. Resp. 1. Retorq.
in opinione probabiliori de non existentia legis.
Resp. 2. dist. ant. datur periculum transgressio-
nis materialis legis, conc.; transgressionis forma-
lis, neg. & consequenter, &c.

99 Obiic. II. In concursu opinionum aequa-
liter probabilium tenenda est tutior, quae pro
lege militat; sed in sensu Resolutionis concurrunt

4.2 *De benignitate in opinando*

Opiniones aequae probabiles; quarum una militat pro existentia legis, ac proinde est tutior; g. ista est tenenda, & consequenter lex dubia in sensu Resolutionis obligat.

100 Respond. distin. mai. tunc tenenda est opinio tutior, quae militat pro lege certa quoad existentiam in sensu Resolutionis II. numeri 70. & Resolutionis III. numeri 81, conc. propter ibi dicta; in sensu praesentis Resolutionis num. 84. subdistin. ex vi, atque ex propria ratione legis stricte dubiae quoad existentiam, in sensu praesentis Resolutionis, neg. Ratione alterius legis certae quoad existentiam, si occurrat, ut interdum accidit, conc. mai. & similiter distin. min. & neg. conseq. Vid. Resolutiones num. 70. & 81.

101 Dum enim concurrunt oppositae opiniones aequae probabiles circa legem certam, resultat dubium practicum, quod (absolute loquendo) non potest rationabiliter deponi. Stante autem dubio pratico, stat Regula, & lex certa obligans ad sequendam partem iustitiae, prohibensque operari cum dubio pratico, & periculo formalis peccati. Hanc Regulam & legem intimat Ecle. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

102 Unde S. Antoninus (in sum. part. 1. tit. 3. c. 10. §. 10.) ait: *Ille, qui agit scienter id,*

de quo dubitat esse mortale , permanente dubitatio-
ne , mortaliter peccat ; etiam si illud non esset
mortale , sumendo proprie , & stricte dubitatio-
nem , prout rationes sunt aequae ponderantes ad
utramque partem , nec magis quis inclinat ad unam
quam ad aliam.

103 Quando vero contrariae opiniones non
sunt circa legem certam , sed circa legem stric-
te dubiam quoad existentiam , in sensu Resolu-
tionis , quamvis detur dubium speculativum ,
non resultat dubium practicum rationabiliter
indeponibile , sed deponibile ; si tunc non est
altera lex certa , quae obliget ad sequendam
opinionem stantem pro existentia legis , nec ad
observandam illam legem dubiam . Ait enim
Apostolus (ad Rom. 4. v. 15.): ubi non est
lex , nec p[re]varicatio . Et S. Thom. (in 4. dict.
15. q. 2. à 4.): Illud dicitur licitum , quod nulla
lege prohibetur.

104 Inst. I. Ex dubio speculativo resultat
dubium practicum ; atqui dum lex est stricte
dubia quoad existentiam , datur dubium specu-
lativum strictum , nam dantur tunc opiniones
oppositae , & aequae probabiles ; g. tunc resul-
tat dubium practicum , & conseq. &c. Resp.
dist. mai. Ex dubio speculativo resultat dubium

practicum, quando non occurrit aliqua ratio sufficiens ad impediendam resultantiam dubii practici, vel ad deponendum dubium practicum, conc.; quando occurrit ratio ad hoc sufficiens, neg. Et haec ratio occurrit, quando lex est stricte dubia quoad existentiam in sensu Resolutionis. Si autem quaeras, quaenam sit haec ratio sufficiens? Respondet aggregatum omnium rationum, quae hic allegantur pro Resolutione; quod quidem aggregatum est ratio saltem probabilius omnibus rationibus oppositis, proindeque sufficiens ad deponendum dubium illud practicum, quod alias resultaret. Et retorq. in opinionibus aequae probabilibus pro reo, pro iustitia belli, vel praecepti, iuxta dicenda num. 460. 493. et. 456.

105 Inst. 2. In dubio stricto circa existentiam legis, in sensu Resolutionis, saltem non potest formari iudicium moraliter certum de non obligatione, ad legem observandam: g. est dubium practicum, proindeque obligatio ad eius observantiam.

106 Respon. dist. ant. non potest formari iudicium moraliter certum, &c. attentis dumtaxat fundamentis directis utriusque opinionis aequae probabilis, conc.; attentis etiam fundamentis reflexis,

neg. ant. & conseq. Fundamenta directa utriusque oppositae opinionis , pro existentia , & contra existentiam dictae legis , sunt rationes directae, quae pro qualibet illarum militant. Fundamenta reflexa sunt , quae allegantur pro Resolutione, & contra illam. Quae autem pro illa allegantur reflexe attenta , & considerata, sunt saltem probabiliora. Quod autem sit licitum sequi probabiliora , etiam minus tuta , est moraliter certum, absolute loquendo , ut contra TUTORISTAS tenent caeteri Theologi. Quare attentis fundamentis reflexis iam expressis , potest formari iudicium moraliter certum de non obligatione ad legem dubiam quoad existentiam in sensu Resolutionis. Vid. *Luminar. Theolog. Moral.* tom. 2. Dissert. 2. & 3.

107 Neque dicas , hanc doctrinam , iuxtasque reflexiones esse probabilisticas. Probabilistae enim laxiorem tradunt doctrinam ; dicunt enim , legem esse dubiam , & vim obligandi non habere , quando contra legis existentiam datur opinio , etiam minus probabilis , & alia laxa docent. Atque super suas doctrinas laxas fundant suas reflexiones , ideoque irrationabiles sunt, ac reiiciendae.

108 Quod autem in dubio stricto circa exis-

tentiam legis possit formari iudicium moraliter certum de non obligatione ad talem legem, in sensu Resolutionis, confirmatur ex Doctoribus Probabilioristis. 1. Ex Thyrso Gonzalez, vidento in suo Egregio Opere *de recto usu opinionum* dissert. 7. n. 85. 2. Ex Eusebio Amortio, cuius verba supra adduximus num. 90.

109 Et in sua *Theologia Ecclastica* tom. I. disp. 2. de conscienc. qq. disputat. q. 5. inquit: "Stante dubio speculativo de existentia legis, "numquam licet sequi (*opinionem*) minus tutam. "At vero in concursu duarum opinionum per argumenta directa particularia aequa probabilitum, semper per argumentum generale reflexum potest tolli dubium speculativum, quo homo iudicat probabilius, non dari legem directam, eo quod Providentia Divina, qua Deus intendit suas leges reddere evidenter credibiles non ipsis, in plerisque Doctoribus, & animis rite dispositis, non deficiat. Alia tamen quaestio est, ubi dubium non versatur circa existentiam legis, &c.,"

110 Et in sua *Theologia morali* tom. I. §. 4. quaer. XI. ait: "Lumen naturale cuivis dictat, & quivis per lumen naturale sine ullo ratiocinio videt, a Deo tamquam a Sapiente, & Pro-

„ vido Gubernatore Religionem , & Leges Divinas
„ debere homini reddi evidenter credibiliores non
„ ipsis. Itaque ubi non conspicitur hic caracter le-
„ gis Divinae , habetur eo ipso certitudo mora-
„ lis , non dari legem Divinam. Id patet in simi-
„ li: si enim aliunde novi Insignia Regis , vel al-
„ terius viri nobilis , quae opprimere solet suis
„ Edictis , vel Scripturis , quandocumque ea sig-
„ na non reperio , sum moraliter certus , hoc
„ Edictum , ut ut aliis probetur argumentis pro-
„ babilibus , non esse verum , seu authenticum.
„ Similiter si aliunde novi notas characteristicas
„ Regis , & eius famulorum , & nuntiorum , ubi
„ has notas characteristicas non reperio ; eo ipso
„ sine operoso ratiocinio agnosco , eum hominem
„ non esse Regem , aut famulum , aut nuntium
„ Regis. Hinc si homo velit uti ratiocinio expli-
„ cito , poterit sibi formare dictamen ultimum
„ practicum moraliter certum hoc syllogismo:
„ Moraliter certum est , ibi non dari legem , ubi
„ non datur character legis. Sed in hac re , v.g.
„ an liceat artificiose pingere in festo , non datur
„ character legis prohibentis : g. non datur lex
„ prohibens. Maior est evidens lumine rationis.
„ Min. prabatur: character legis est , ut sit pru-
„ denter credibilior , seu probabilius opposito;

, sed hoc non fit in ista re. Ergo.,;

111 Obiici. III. *In dubiis tutior pars est eligenda*; sed in dubio stricto circa existentiam legis tutior pars est, quae obligat ad legis obseruantiam: g. &c. Resp. dist. & explico proloq. tutior pars in dubiis est eligenda, vel de consilio, vel de praeecepto, conc.; semper de praeecepto, neg. Ita expresse docet S. Antoninus (in sum. part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 9.) his verbis: *Eligere viam tutiorem (saepe) consilii est, non praeepti. Alias oppoteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur quam in saeculo.* U. n. à n. 99. & 440.

112 Sic quamvis ad valorem Sacramenti intentio actualis tutior sit quam virtualis, non tenemur ex praeecepto ad adhibendam actualem. Sic etiam quamvis tutius sit in Sacramento Poenitentiae exponere aliquod poecatum grave vitae praeteritae, iam prius recte clavibus subiectum, quando poenitens post ultimam confessio- nem, nullum grave peccatum commisit, ut sic dolor efficax melius concipiatur; ad hoc tamen poenitens non tenetur ex praeecepto; sufficitque sola confessio venialium cum sufficienti dolore, & proposito; illud vero solum est de consilio. Itaque quando, si non teneatur tutior pars ge-

neratur dubium practicum , quod rationabiliter non potest deponi , tunc est obligatio sequendi partem tutiorem. Quando vero potest rationabiliter dubium practicum , deponi tunc tenere partem tutiorem solum est de consilio , non vero de paecepto. Vid. dicenda a num. 440,



TRACTATUS SECUNDUS:**DE OPINIONE BENIGNIORI.****DISTINCTIO PRIMA.**

*De natura, proprietatibus, & conditio-
nibus opinionis benignioris.*

QUAESTIO I.

*An in opinando, & resolvendo dubia cir-
ca leges & praecepta dumtaxat vendicet
sibi locum iustitia; an vero etiam mi-
sericordia, & benignitas?*

ARTICULUS I.

*De misericordia, & benignitate, ac de
aliis virtutibus, eis afinibus.*

¹¹³ *Misericordia est virtus, per quam animus
super calamitate afflictorum movetur, inquit Div.*

Bonaventura in Centiloq. part. 3. sect. 43. Contra quod misericordia sit virtus, arguitur sic: Quod impedit consilium, non potest dici virtus; sed misericordia impedit consilium, secundum illud Salustii, *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, & misericordia vacuos esse decet.* Non enim animus facile verum praevident, ubi ita afficiunt: g. misericordia non est virtus.

114 Respondet Div. Thom. (2. 2. quaes. 30. art. 3.) quod auctoritas illa Salustii intelligitur de misericordia secundum quod est passio ratione, non regulata. Sic enim impedit consilium rationis, dum facit a iustitia discedere. Quando vero misericordia ratione, et lege regulatur est virtus, & non impedit consilium. Immo consilium convenit misericordibus, inquit Div. Augustinus (lib. de serm. Domin. in mont.)

115 Et incognitus (in Ps. 24.) ait: *Diriget mansuetos in iudicio; docebit mites vias suas: secundum Casiodorum.... Mansuetos dicimus, quasi manui assuetos, id est, patientes, & mites, qui alienas iniurias tolerant, nec aliquem gravare praesumunt. Istos tales mansuetos in iudicio dirigit Dominus.*

116 Misericordia enim est duplex: una carnis, & iniusta; & altera virtuosa, & iusta.

Carnalis, & iniusta est passio nec lege, nec ratione regulata. Talis erat misericordia illorum, qui Eleazaro suadebant, ut carnes per legem prohibitas manducaret, prout legitur in libro Machabeorum 2. cap. 6. Illi autem, qui adstabant iniqua commiseratione commoti, &c.

117 Misericordia christiana, virtuosa, & iusta est illa, quae non est contra bonos mores, nec contra aliquam legem; sed secundum legem christiana misericordiae, quae quidem est sola vera misericordia, prout ex Div. Ambrosio advertit. *Incognitus* sup. ill. verba Ps. 118. *Et de lege tua miserere mei*, dicens: *Notat hic Ambrosius*, quod sola illa vocatur misericordia, quae de lege procedit, utpote cum miseretur, cui miserendum est, & non miserentur, cui non est miserendum. Cum dimittitur, quod est dimittendum, & quod dimittendum non est, non dimittitur.

118 Et notandum est, quod cum misericordia sit alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique, si possumus, subvenire compellimur, misericordia (ut advertit Div. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1.) proprie est ad alterum; non autem ad se ipsum, nisi secundum quandam similitudinem, sicut justitia, secundum quod in homine considerantur diversae partes, ut dicitur in 5. Ethic. Et se-

Dissertatio Juridica, & Mordlis. 53
cundum hoc dicitur Eccl. 30. Miserere animae
tuae placens Deo. Notandum etiam est, quod mi-
sericordia oritur a charitate, ut advertit S. An-
tonius (in sum. part. 4. tit. 5. cap. 18. §. 2.)
dicens: Procedit autem misericordia a charitate,
sicut effectus a causa.

119 Benignitas explicatur a Div. Thoma
(sup. Epist. ad Tit. 3.) his verbis: „Interior
charitatis affectus designatur in benignitate, quae
dicitur bona igneitas. Ignis autem significat amo-
rem. Canti. 8 Lampades eius lampades ignis,
ignis, atque flamarum. Benignitas ergo est amor
interior profundens bona ad exteriora. Haec ab
aeterno fuit in Deo, quia amor eius est causa
omnium. Joel. 2. Benignus, & misericors est.
Et ad Galat. (cap. 5. §. 22.) Fructus autem
spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, be-
nignitas. Et ad Corinth. (cap. 13. §. 4.) Cha-
ritas patiens est, benigna est.“

120 His virtutibus aequalis est Clementia, quam
Seneca (in lib. de clementia cap. 3.) sic descri-
bit: Clementia est lenitas superioris adversus in-
feriorem in constituendis poenis. Unde clementiae
opponitur crudelitas, quae importat excessum in
puniendo. Et ideo dicit Seneca ibi, quod cru-
deles vocantur, qui puniendi curam habent, mo-

De benignitate in opinando
dum autem non habent. Clementiae autem non
 opponitur severitas ; utraque enim est secundum
 rationem rectam. Nam severitas inflexibilis est
 circa inflictionem poenarum , quando hoc recta
 ratio requirit ; clementia autem est diminutiva
 poenarum etiam secundum rationem rectam , quan-
 do scilicet opportet , & in quibus opportet ; qua-
 propter severitas , & clementia non opponuntur.

121 In diminutione autem poenarum duo sunt
 consideranda. Unum est , quod diminutio poena-
 rum fiat secundum intentionem Legislatoris , li-
 cet non secundum verba legis ; & secundum hoc
 est quaedam epikeia. Aliud autem est quaedam
 moderatio affectus , ut homo non utatur sua po-
 testate in inflictione poenarum ; & hoc proprie
 pertinet ad clementiam. Quare dicit Seneca in 2.
 de clementia cap. 3. quod *Clementia est tempe-*
rantia animi in potestate ulciscendi. Haec animi
 moderatio provenit ex quadam dulcedine affec-
 tus , qua quis abhorret omne illud , quod potest
 alium contristare. Sicut igitur severitas sequitur
 iustitiam legalem , illam inflexibiliter observando
 secundum verba legis , ubi , & quando oppor-
 tet: ita clementia regulatur , attendendo mentem ,
 & intentionem Legislatoris , & mitigat poenas
 ubi , & quando opportet , propter causas par-

ARTICULUS III.

Quaestio resolvitur.

RESOLUTIO.

123 In opinando, & resolvendo dubia circa leges, & praecepta non solum vendicat sibi locum veritas, seu iustitia, sed interdum etiam misericordia, & benignitas.

123 Prob. ex illo Ps. 24. v. 10. Universae viae Domini misericordia, & veritas, requirentibus testamentum eius, & testimonia eius. Hic autem veritas ponitur pro iustitia, uti advertit Div. Bonaventura (in Centiloq. part. 3. sect. 46.) dicens: Universae viae Domini misericordia, & veritas, quae pro iustitia ponitur. Si igitur in dubiis circa leges, & praecepta requirendae sunt, tamquam viae Domini, misericordia, & veritas, seu iustitia in opinando, & resolvendo non solum vendicat sibi solum veritas, seu iustitia, sed etiam misericordia, & benignitas. Et patet ex utroque Jure, Civili, & Canonico, nam ex utriusque doctrina, V. postea adducenda, in du-



56 *De benignitate in opinando*
bio stricto , seu in concursu opinionum opposi-
tarum , & aequaliter probabilium , saepe fit reso-
lutio secundum partem , seu opinionem benig-
niorem.

124 Obiic. Ex Ps. 118. *Omnis viae tuae
veritas.* Igitur sola veritas , & iustitia est via Do-
mini ad resolvenda dubia circa leges , & prae-
cepta , & conseq. misericordia , aut benignitas non
est via Domini ad opinandum , & resolvendum
dubia , &c. Resp. 1. neg. conseq. quia in Ps.
adducto expresse dicitur universae viae Domini
misericordia , & veritas , &c.

125 Respon. 2. cum Hugone Cardinali ex-
ponente utrumque textum sic. *Quaeri potest,
quomodo bic dicatur Omnes viae tuae veritas,
cum alibi dicatur Ps. 24. Universae viae Domini
misericordia , & veritas. Sed sciendum , quod erga
Sanctos omnes viae sunt misericordia , & omnes
veritas , quia & in judicando subvenit , & ita
non deest misericordia , & in misericordia exhibet
quod promisit , ne desit veritas.*

126 Respon. 3. quod omnes viae Domini
sunt veritas , quia etiam via misericordiae est via
veritatis. Resolutio enim non procedit de benigni-
tate iniusta , & falsa ; sed de benignitate vir-
tuosa , iusta , & vera. Quare in hoc sensu via

misericordiae, & benignitatis est via veritatis, quia est via vere miserendi, cui miserendum est, & in miserendo tunc est veritas. Ait enim Div. Bernardus: *Neque veritatem tenet, qui misericordiam (ubi vere est) non agnoscit.* (in Ps. Qui habitat.) Vid. dicta num. 116. & seq.

127 Et loquendo de veritate morali quoad nos, istud etiam ostenditur. Nam dum veritatem inquirimus circa leges, & praecepta, interdum post examen veritas clare, & perfecte apparet certitudine perfecta; interdum non apparet veritas nisi imperfecte, & moraliter, certitudine quadam morali consistente in maiori probabilitate, quae est quaedam veritas, & certitudo moralis, prout docet Div. Antoninus (in sum. part. i. tit 3. cap. 10. §. 10.) dicens: *Non enim consurgit certitudo moralis (imperfecta) ex evidentiā demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis, & figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus.* Vid. dicta à num. 41.

128 Interdum etiam post examen, & inquisitionem nondum apparet veritas moraliter, seu nondum apparet magis probabiliter; nam utrinque apparent opiniones aequae probabiles directe, proindeque datur strictum dubium, & veritas adhuc latet. Tunc tamen cum non appareat ve-

ritas speculativa, inquiritur practica, quaerendo pro qua parte inveniatur aliquod principium reflexum, vel certum, vel magis probabile, ex quo possit dubium rationabiliter deponi, ac resolvi. Et hoc invento, sive pro parte benigna, sive pro opposita, iam apparet veritas saltem moralis reflexe, & practice, cum saltem apparet sic maior probabilitas, quae uti iam dictum est, quaedam veritas moralis est. Ex quo colligitur, quod sic etiam via misericordiae est via veritatis, quoad nos, in hoc sensu. Vid. a. n. 546.

QUAESTIO II.

*An benignitas in opinando extendat se
ad opiniones aequae probabiles, atque
ad minus probabiles, etiam
minus tutas?*

ARTICULUS I.

Quaestio resolvitur.

RESOLUTIO I.

129 *Benignitas in opinando extendit se ad opini-
ones aequae probabiles; non tamen ad omnes; sed
ad illas dumtaxat, quae habent omnes conditiones
necessario requisitas ad opinionem christiane be-
nigniorem.*

130 *Quod extendat se ad aliquas, constat ex
utroque Jure, docente, opiniones aequae probabi-
les favorabiliores, seu benigniores esse suis oppo-
sitis praferendas, uti postea ostendetur. Quod
non extendat se ad omnes opiniones aequae pro-
babiles, postea probabitur, ostendendo, non om-*

De benignitate in opinando
 nes opiniones aequre probabiles habere omnes condic-
 tiones necessario requisitas ad opinionem christiane
 benignorem. Quare non ad omnes extendit se be-
 nignitas in opinando ; sed ad illas dumtaxat , quae
 habent omnes conditiones requisitas ad opinionem
 christiane benignorem , & postea assignandas.

RESOLUTIO II.

131 *Benignitas in opinando , per se , & abso-*
lute loquendo , non extendit se ad opiniones minus
probabiles , & minus tutas. Est contra Probabi-
 listas , qui contrariam sententiam , seu Probabi-
 lismum , appellant *sententiam benignam*.

132 Probatur Resolutio : Quia benignitas in
 opinando , de qua in presenti loquimur , debet
 esse iusta ; & talis non est benignitas in opinan-
 do , quae extendit se ad opiniones minus pro-
 babiles , & minus tutas ; nam est contra verita-
 tem , & iustitiam , ut probavi in *Dissertat. de*
Probabilismo , in Luminar. Theolog. Moral. tom. 2.

133 Quod benignitas in opinando debeat esse
 iusta , clare constat , nam debet esse similis mi-
 sericordiae , & benignitati Dei , iuxta illud Luc. 6.
 ¶ 36. *Estote misericordes , sicut Pater vester coe-*
lestis misericors est. Deus autem sic est miseri-

cors , ut simul sit iustus , teste Psalmista Ps. 14.
dicente : *Misericors Dominus , & iustus.*

134 Unde S. Basilius ait : *Ubique Scriptura miserationibus Dei iustitiam coniungit, nos plane erudiens , quemadmodum nec misericordia Dei sine iudicio , nec iudicium sine misericordia sit : sed cum miseretur , etiam cum iudicio miserationes suas iis , qui digni sunt , admensurat ; & cum iudicat , commensuratum quoque nostrae infirmitatis iudicium inferat , beniguitatis nos affectu potius quam aequi compensatione amplectens.*

135 Similiter sup. illa Ps. 118. verba , et de lege tua miserere mei , loquitur Div. Ambrosius , „ quem allegat *Incognitus* dicens : „ Notat hic „ Ambrosius , quod sola illa vocatur misericordia , quae de lege procedit , utpote cum miseretur , cui miserendum est , & non miseretur „ cui non est miserendum. Cum dimittitur , quod „ dimittendum est , & quod dimittendum non est , „ non dimittitur. Unde hic Ambrosius : *Lege miseretur , qui cum iustitia , sapientiaque miseretur , ut scilicet , dimittat , quae scit iure posse dimitti ; ne cum alterius miseretur , se ipsum faciat legis obnoxium..... Ex quibus vult habere Ambrosius , quod non omnibus est miserendum ; sed de lege , id est , secundum dic-*

136 Unde Glossa Ordinaria sup. illud Exod. Pauperis quoque non misereberis in iudicio, inquit: Opus est igitur sapientia ad discernendum iustum: nec temere & importune decurrentum est ad misericordiam. Bona est misericordia, sed non est contra iudicium. Iudicium autem dicit Scriptura, quod iustum est.

137 Deinde Incognitus sup. illud Ps. 32. Dilegit misericordiam, & iudicium, ait: Misericordia sine iudicio est quaedam crudelitas. Misericordia sine iustitia impendi non debet. Unde ait Magister in glossa: Cave, ne amissa iustitia, sis pauperi in mala causa misericors, ut malam causam sibi foveas, & eius iniquitatem contegas. Ex quo colligitur, quod illud Jacobi Epist. 1. Superexaltat autem misericordia iudicium, non est intelligendum de quacumque misericordia, aut benignitate; sed solum de misericordia, aut benignitate christiana, virtuosa, & iusta.

138 Dictum est in Resolutione per se, & absolute loquendo, quia per accidens opinio etiam minus probabilis potest coniungi cum christiana, & iusta benignitate. Ita evenit in aliquibus casibus extremae necessitatis, v.g. baptizandi in articulo mortis infantem in aqua minus probabiliter valida, sub conditione, &c.

ARTICULUS II.

*Proponitur opposita sententia cuiusdam
Recentioris.*

139 Praesenti Dissertationi de benignitate in opinando finem iam imposueram, dum ad manus meas pervenit novus liber typis datus Matriti anno 1785. cuius titulus est *Disputa sobre el uso practico de las opiniones morales*, ab quodam RR. & Sapientissimo Patre Magistro elucubratus. Opusculum quidem non vulgare, sed selectum, & exquisitum; doctrinis, ac sententiis non vulgaribus, reflexionibus ingeniosis, novis, atque subtilibus a prime illustratum, quaequidem sui Authoris eruditionem, ingenii acumem, & subtilitatem, cordisque charitatem plane ostendunt. Quamvis autem ita in veritate sentiam, nonnulla in Eruditissimo Opusculo mihi difficilia, & non satis probata inveni; praesertim illud quod in eo asseritur, nempe, *Confessarium in directione poenitentis ut interdum posse opinionem minus probabili*. Hoc autem Probabilismus saltem partialis proculdubio est. Quare non impugnandi, aut contradicendi pruritus, sed solum pro maiori veritatis inquisi-

tione , ac defensione , ea hic adducam , quae contra illam doctrinam mihi occurunt ; Auctoris etiam fundamenta , & argumenta (saepeque ipsius verba , de hispano idiomate in latinum versa) proponam , & oppugnabo.

140 Huius disputationis scopum explicat suus
 „ Auctor pag. 41. his verbis : „Praesens Dispu-
 „ tatio ordinatur , ac dirigitur ad comperiendum ,
 „ an in casibus , in quibus Confessarius , conside-
 „ ratis occasionibus , etiamque dispositione poeni-
 „ tentis , prudenter iudicat illum in periculo re-
 „ labendi permansurum , si secundum doctrinam
 „ pro lege stantem , ipsum direxerit , possit tunc
 „ Confessarius doctrinam illius opinionis disimu-
 „ lare , atque secundum opinionem libertati fa-
 „ ventem , quamvis ipsi Confessario minus pro-
 „ babilem , poenitentem dirigere . Hoc quidem est
 „ idem , ac inquirere , an Confessarius , tamquam
 „ poenitentis Magister , doctrinam opinionis sibi
 „ probabilioris dissimulare valeat , & tamquam
 „ prudens Medicus , uti minus probabili , quam
 „ saluti spirituali poenitentis magis congruentem ,
 „ magisque fructuosam existimat .“

141 Deinde Recentior proponit suam senten-
 tiā tamquam medianā inter Anti-Probabilismum ,
 & Probabilismum per duas sequentes conclusiones .

Dissertatio Juridica, & Moralis. 65

142 Conclusio I. Non est licitus usus opinio-
nis probabilis, quae libertati faveret, in conspectu
oppositae dequaliter, vel minus probabilis stantis
pro lege, ex solo motivo libertatis, vel proprii
commodi. Ita Recentior in suo Opusculo sect. 1.
pag. 9.

143 Conclusio II. In praxi confessionis lic-
tum est Confessario, sequi opinionem minus proba-
bilem, vel uti doctrina cuiuslibet opinionis proba-
bilis, etiam in conspectu oppositae probabilioris,
quotiescumque prudenter iudicaverit, doctrinam opi-
nionis minus probabilis magis salutarem esse poenit-
enti. Idemque est dicendum, quando opinio minus
probabilis, conducens existimetur ad aliquem fi-
nem bonum, & charitatis. Ita Recentior in suo
opusc. sect. 2. Pag. 41.

145 Et ibi sect. 2. pag. 62. Recentior magis
explicans sententiam suam, ait: „Suadere non
intendo, quod in aliqua occasione falsum tam-
quam verum doceatur; verumtamen supposito
quod doctrina opinionis probabilis sana, atque
bona est, & quod ut talis à Magistris doctis,
& piis traditur; & quod caracterem suum non
amittit, ob accidentalem, extrinsecamque cir-
constantiam, qualis est, quod Confessario mi-
nus probabilis appareat, dico, ac firmiter pro-

„ pugno , Confessarium , charitate duxum , dirigere
 „ posse poenitentem praedicta doctrina , absque
 „ mendacio , dicendo poenitenti , quod in talibus ,
 „ casibus non peccabit , vel ad summum venialiter ,
 „ secundum doctorum Magistrorum sententiam , eam
 „ docentium , & bonis rationibus probantium. Sic
 „ quidem vitabit Confessarius plura peccata for-
 „ malia , aliaque gravia incommoda , quae ex doc-
 „ trina quorundam modernorum quibus opiniones
 „ probabiliiores ordinarie videntur illae , quae sunt
 „ strictiores , necessario subsequuntur.“

145 Haec doctrina plura continet mihi obs-
 cura , difficultia , & non satis probata , praesertim
 in ea amplitudine , vere magna , qua à suo Auc-
 tore proponitur ; non solum de usu passivo op-
 nionis minus probabilis , sed etiam de activo. Qua-
 re sententiam istam in tanta praesertim latitudine ,
 & extensione impugnabo.

ARTICULUS III.

Impugnatur praedicta sententia.

146 **I**mprimis haec doctrina , cum tanta exten-
 sione , & latitudine tradita , videtur contra om-
 nes Anti-Probabilistas , tum antiquos , tum mo-

dernos, videturque Probabilismus partialis, prout
á suo Auctore traditur in 2. conclusione num.
143. Nam quid est Probabilismus nisi sententia
iustificans, & licitum statuens usum opinonis mi-
nus probabilis, & minus tutae? ergo cum sen-
tentia Recentioris, prout in secunda eius Reso-
lutione proponitur, iustificet, & licitum statuat,
licet non semper, nec in omnibus, usum opini-
onis minus probabilis, & minus tutae, erit
Probabilismus partialis, reliquendus sicut totalis.

147 Nec satisfacit, quod ait Recentior, nem-
pe, haec vera esse de usu opinionis minus pro-
babilis, & minus tutae ex solo motivo libertatis,
& propriae commoditatis, ut in prima conclusio-
ne num. 142.; Non vero quando Confessarius
utitur opinione minus probabili ex motivo chari-
tatis, vel alio motivo honesto in bonum spiri-
tuale poenitentis.

148 Sic enim loquitur Recentior in suo opus-
culo pag. 66. „Advertendum est discrimen in-
terveniens inter eligentem opinionem minus pro-
babilem (vel aequa probabilem) ob suam liber-
tatem, vel proprium commodum, & inter Con-
fessarium eligentem illam ob bonum spirituale
poenitentis. Primus enim ostendit, magis amare
se ipsum, quam Dei legem, vel praceptum,

„ uti in prima conclusione demonstratum est. Nec
 „ recursus ad dictamen practicum conscientiae
 „ eum excusat , nam tunc formatur ex de-
 „ terminatione voluntatis , & non ex ratione suffi-
 „ cienti , quodquidem est , Dei legem , & volun-
 „ tam acomodare nostrae. Hoc autem est illa
 „ perversitas , de qua loquitur S. Augustinus
 „ (§. 1. in Ps. 48.) dicens: *Haec est in homini-
 „ bus magna , & usitata perversitas , quia cum de-
 „ beant ipsi vivere secundum voluntatem Dei , Deum
 „ volunt vivere secundum voluntatem suam.* E con-
 „ trario tamen Confessarius , qui in praxi Con-
 „ fessionis eligit opinionem minus probabilem ob-
 „ spirituale bonum poenitentis , vel ob alium fi-
 „ nem charitatis , relinquit Deum propter Deum;
 „ relinquit enim sequi Deum per viam opinionis
 „ probabilis pro lege , ut Deum quaerat per aliam
 „ viam certiorem , ac securiorem , maioriisque per-
 „ fectionis , qualis est charitas , quaequidem est
 „ suprema lex.“

149 Haec tamen , quae adducit Recentior , non
 satisfaciunt , in eisque involvuntur plures aequi-
 vocationes , que explodi , ac reiici debent. Nam
 vel usus opinionis minus tutae , & minus proba-
 bilis , in se , & secundum se est malus , & pro-
 hibitus per aliquam legem , vel non?

150 Si non est malus , nec prohibitus per aliquam legem: g. est licitus usus opinionis minus tutae , & minus probabilis ; quamvis sit ex solo motivo libertatis , & propriae commoditatis , licitusque erit Probabilismus , contra primam conclusionem Recentioris , & contra omnes Anti Probabilistas . Nam neque libertas , nec proprium commodum sunt illicita , nisi sint prohibita per aliquam legem. *Quia omnia sunt permissa per legem , quae probita non inveniuntur.* L. necnon ex quibus causis. Et ut inquit S. Thom. (in 4. dist. 15. q. 2.): *illud dicitur licitum , quod nulla lege prohibetur.*

151 Si usus opinionis minus tutae , & minus probabilis in se est malus , & prohibitus per aliquam legem (uti in rei veritate ita est , utpote contra veritatem , contra iustitiam , & contra alia , quae adducunt contra ipsum Anti-Probabilistae), igitur Confessario non erit licitus usus opinionis minus tutae , & minus probabilis ob bonum spirituale poenitentis , ex charitate , neque ex alio fine , aut praetextu , quamvis bonus videatur. Probatur: *Quia non sunt facienda mala , ut inde eveniant bona.* Cap. ex tuar. de sortileg. Et quia quamvis finis sit bonus , si medium est prohibitum , & malum , actus evadit malus: nam bo-

num ex integra causa ; malum ex quocumque defectu.

152 Impugnat^{ur} 2. doctrina Recencionis in sua secunda conclusione. Usus opinionis minus tutae, & minus probabilis ita est in se malus, & illicitus, ut non possit esse bonus, & licitus ex fine vel motivo charitatis, vel boni spiritualis proximi, vel ob vitanda in proximo peccata; g. ruit doctrina Recencionis. Prob. ant. nam est contra veritatem ; quae est lex , & virtus fortior omni alia lege, & lex fortior omni alteri legi praeponi debet , ideoque iniuste , & illicite postponitur : g. usus opinionis minus tutae, & minus probabilis ex nullo motivo alterius legis, vel virtutis potest esse bonus & licitus (nisi in casibus extremae necessitatis , &c.) & hoc per accidens ad vitandum maius malum.

153 Quod talis usus sit contra veritatem probatur , nam est contra maiorem probabilitatem oppositae opinionis ; & maior probabilitas est moraliter quaedam veritas , seu quedam veritas moralis : sicut minor probabilitas est quaedam falsitas moralis , cum id , quod est minus probabile , sit probabilius falsum , iuxta dicta à num. 40. & à num. 127. Quod autem veritas super omnia sit , & omnia vincat , probatur ex

illo Esdrae (lib. 3. v. 13.): *Super omnia autem
vincit veritas.* Vid. *Luminaria Teolog. Moral*
tom. 2. disserrt 7. à num. marginal. 210.

154 Confirm. ex Regula Juris III. in V.
*Utilius scandalum nasci permititur, quam veritas
relinquatur.* Huius autem Regulae sensus, inquit
in eius explicatione noster Reinsfestuel, est hic:
*Propter scandalum passivum vitandum, aut impe-
diendum alterius peccatum, nihil est faciendum,
aut omittendum, quod sine peccato fieri, aut omit-
ti non potest: seu: potius est permittendum scanda-
lum passivum, hoc est peccatum alterius, quam
quod quis ipse faciat, aut omittat, quod sine pec-
cato, sique sine laesione veritatis vitae facere,
aut omittere non potest, arg. cl. faciat 15. can. 22.
q. 2. Concordant DD. communiter cum glossa b.
t. et ratio est, quia non sunt facienda mala, ut
inde eveniant bona.*

155 Impugnatur 3. praedicta doctrina Recen-
tioris: Nam licet Confessariis docere doctrinas si-
bi minus probabiles: g. neque illis licet dirigere
poenitentes secundum opiniones sibi minus pro-
babiles, & minus tutas. Ant. patet ex illo Isaiae
cap. 5: *Vae qui dicitis bonum malum, & malum
bonum.*

156 Unde P. Tynsus Gonzalez (de rect. usu

opinio. dissent. 12. §. 4. n. 14.) recte inquit.
*Magistri tenentur docere doctrinas verisimiliores,
& magis fundatas. Peccaretque gravissime. Magi-
ster, si praevidens, aut praevidere debens, quod
sua doctrina inductura esset homines ad ponendas
actiones reipsa contrarias legi Dei, nihilominus
ipsam traderet; quam is aliunde scinet, quod trans-
gressio legis non esset imputanda sectatoribus suae
doctrinae, vimirum excusandis ob ignorantiam: si-
cuit peccaret, qui amentem induceret ad actionem
reipsa contraria legi divinae, licet certo sciret,
ipsum ratione amentiae non peccaturum formaliter.*

ARTICULUS IV.

*Nonnulla Recentioris argumenta
dissolvuntur.*

157 *O*bii. i. Confessarius tamquam prudens Medicus spiritualis, in directione poenitentium debet, ac proinde potest, ad eorum aegritudines medendas, & relapsus cavendos, uti medicamentis, ac remediis magis opportunis: g. uti poterit opinione minus probabili, quando prudenter iudicaverit, eius usum conducere ad bo-

num spirituale poenitentium, & ad vitanda in illis peccata. Respond. id verum esse, quando adsunt media licita; falsum tamen si id fieret per medium illicitum, & malum, uti est usus opinio-
nis minus probabilis, & minus tutae in ea ex-
tensione, in qua docet Recentior. Ratio est, quia
non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.

158 Obiic. 2. Licitum est Confessario diri-
gere poenitentes, prout dictat charitas; sed in
casibus, in quibus Confessarius iudicat, usum
opinionis minus probabilis esse conduceantem ad
bonum spirituale poenitentium, charitas dictat,
ut per opiniones minus probabiles illos dirigat:
igitur, &c.

159 Mai. patet. I. Ex Apostolo (ad Thimo-
th. 1.) dicente: *finis autem paecepti est cha-
ritas de corde puro.* II. Ex Math. 22. *In his duobus
mandatis (nempe charitatis Dei, & proximi)
universa lex pendet, & Profetae.* III. Ex Div.
Augustino (serm. de laudib. charitat.) dicente:
*ille tenet, & quod patet, & quod latet in di-
vinis sermonibus, qui charitatem tenet in man-
ibus.*

160 IV. Ex communi Theologorum sententia
asserente, in cursu paecepti positivi incompa-
tibilis cum charitate cessare obligationem illius

praecepti, & observandum esse praecēptum charitatis, quod fortius est; nam caritas est suprema lex, per quam resolvi, ac decidi debent omnia dubia, omnesque quaestiones morales, uti docet Cl. Eusebius Amort (in sua Theolog. Moral. tract. de legib. §. 15.) his verbis: *Quare lex ipsa charitatis vocatur suprema lex?* Resp. *Quia lex ista charitatis est Regula omnium legum dubiarum, & ultimum principium conscientiae in omnibus controversiis circa materiam legum.* Omnes quaestiones morales, quae infinitis quaestionibus discessae in banc usque diem manserunt in determinatae, tandem per legem charitatis determinari, solvi, & definiri possunt, & debent, &c. (161) Ante responsionem, notare opportet, quod supra diximus (á num. 116.) nempe, quod misericordia est duplex: una carnalis, & iniusta; altera vero virtuosa, & iusta. Carnalis, & iniusta est, quae nec lege, nec ratione regulatur. Virtuosa, & iusta est, quae non est contra bonos mores, seu contra aliquam legem; sed secundum legem christianaे misericordiae; & haec sola est vera misericordia, prout loco citato advertit ex Ambrosio Incognitus dicens: *Notat hic Ambrosius, quod sola illa vocatur misericordia, quae de lege procedit, utpote cum miseretur, cui*

miserendum est, & non miseretur, cui non est miserendum. *Cam dimittitur, quod est dimittendum, & quod dimittendum non est, non dimittitur.*

162 Haec quae dicuntur de misericordia, etiam dicenda sunt de charitate, quae etiam duplex est: una iniusta, apparens, & falsa; altera iusta, & vera; & haec sola est vera charitas. Responditur, obiectionem esse veram, loquendo de vera charitate, nempe, de charitate christiana, virtuosa, & iusta; non vero de charitate falsa, apparente, & iniusta: et talis est charitas, quae dicitur usum opinionis minus tutae, & minus probabilis in ea extensione, & amplitudine, in qua dicitur: Récentior, esse licitum, & iustum.

163 Nam charitas, quae hoc dicit, suggerit, & dicit malum & illicitum, nam dicit quod est prohibitum per leges, nempe, per illas, quae prohibent usum opinionis minus probabilis, ut supra probatum est; prainde quae non est charitas christiana, iusta, & vera; sed apparens, iniusta, & falsa. Charitas enim vera nihil dicit contra Divinam legem, nec contra veritatem. *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* (Johanni 4.) Charitas non agit perperam, sed non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritatem. (Apostol. ad Corinthios 13.) Vid. Lu-

76 De benignitate in opinando
minaria Theolog. Moral. in dissert. de Probabilism.

164 Inst. charitas christiana, iusta, & vera
dictat baptizare infantem in mortis articulo constitutum, in aqua minus probabiliter valida, deficiente certo valida: et similiter absolvere poenitentem minus probabiliter dispositum, in mortis articulo constitutum: g. non est incompatibilis christiana, & vera charitas cum usu opinionis minus probabilis, quando conducens videtur. Confessario ad bonum spirituale poenitentis, &c.
bibi 65 sup Respond. conces. ant. neg. conseq. & paritat. Primo, quia necessitas baptizandi, & absolvendi in articulo mortis est summa, utpote extrema; Recentior autem extendit suam doctrinam ad casus non extremae necessitatis. Casus necessitatis vocatur, quando baptizandus est in praesenti discrimine vitae, vel in eo statu, in quo non amplius poterit habere idoneum Ministrum baptismi, v.g. inter Ethnicos, inquit Amort in Theolog. Moral. tom. 2. fol. 100. Et in tom. 1. fol. 17. quaest. 3. Iait: Casum autem necessitatis voco illum, ubi alioquin periclitaretur salus illius animae, cui administratur Sacramentum. Non tamen recte arguitur de casibus extremae necessitatis, & articuli mortis ad casus extra talen articulum, ut patet in baptismate, & absolutione;

nam extra mortis articulum, vel absque simili necessitate baptizare non licet in aqua minus probabiliter valida, neque absolvere poenitentem minus probabiliter dispositum; quamvis licita haec sint in mortis articulo.

166 Secundo, quia dum in articulo mortis baptizatur infans in aqua minus probabiliter valida; vel absolvitur poenitens minus probabiliter dispositus, non datur usus opinionis minus probabilis. Nam baptismus, & absolutio conferuntur sub conditione, ita ut minister non intendat sacramenta ministrare, nisi coram Deo adsint omnia requisita necessaria ad validam, & licitam administrationem sacramentorum. Quare tunc Minister non utitur opinione minus probabili, nec facit aliquid illicitum. Administrare enim tunc illa sacramenta in tanta necessitate sub conditione, non est prohibitum, sed permissum, & licitum iuxta omnes. Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Regul. Jur. 4. in V. Quare non tenet paritas argumenti.

167 Obiic. 3. Actus in esse moris sumit specificationem per ordinem ad finem, iuxta Div. Thom. Igitur cum finis Confessarii sit bonus, nempe, bonum spirituale poenitentis, bonum, licitumque erit ei uti opinione minus probabili,

&c. Resp. neg. conseq. Quia quamvis finis Confessarii bonus sit, ad illud obtinendum utitur medio illicito, malo, & prohibito, nempe, opinione minus probabili, quare actus evadit malus, quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; & quia bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu.

168 Inst. i. Quamvis occisio hominis sit intrinsece mala, quia tamen ordinatur ad bonum finem, licita est publica auctoritate Principum: igitur quamvis doctrina minus probabilis sit in se iniusta, licitus erit Confessario eius usus ob bonum finem, &c. Si argumentum teneret, licitum esset privato hominem occidere ob bonum finem; etiamque mentiri, peierare, &c. quodquidem falsum est.

169 Respond. igitur neg. causalem, nempe, quod occisio hominis licita sit Principibus eo praecise quod ordinetur ad bonum finem. Occisio enim hominis Principibus est licita, quia a Deo, qui est Dominus vitae hominis, est illis permissa tamquam Dei Ministris, & suae iustitiae executoribus. Ita colligitur ex pluribus textibus Sacrae Scripturae. Aliis omissis, ex illo Apostoli (ad Rom. 13.) : *Vise non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim Minister est ti-*

Dissertatio Juridica, & Moralis. 79

bi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; Dei enim Minister est; vindicta in iram ei, qui malum agit.

170 Inst. 2. Usus opinionis minus probabilis, non est intrinsece malus; sed quod non est intrinsece malum potest ex aliquo fine bono esse honestum, & bonum: g. &c. Respon. neg. mai. loquendo de opinione minus probabili, ut minus probabili, subiective, & respectu subiecti, iudicantis opinionem esse minus probabilem. Nam opinio minus probabilis, ut minus probabilis, est contra rectam rationem, contra iustitiam, & veritatem, & sic eius usus est intrinsece malus; ex nulloque fine bono assignato à Recentiore est honestus, & licitus. Vid. dicta á num. 152.

171 Obiic. 4. Doctrina opinionis probabilis sana, ac bona est, atque ut talis traditur à Magistris doctis, & piis: g. hunc caracterem non omittit ob extrinsecam, accidentariamque circums tantiam, nempe, quod Confessario videatur minus probabilis, & consequenter Confessarius illa uti poterit, ob bonum spirituale poenitentis.

172 Respond dist. ant. doctrina opinionis probabilis sana, & bona est insensu Anti-Probablistarum, conc.; in sensu Probabilistarum, neg. ant. & conseq. Doctrina opinionis probabilis



sana , & bona est in sensu Anti-Probabilistarum, id est , licitus est usus opinionis probabilioris *subjective*, seu respectu illorum , quibus est prudenter probabilior. Respectu tamen aliorum , quibus opinio est *subjective* minus probabilis non est licitus eius usus ; alias enim sana , & licita esset doctrina Probabilismi , contra sententiam communissimam Theologorum. Vid. *Lumina Theolog. moral.* tom. 2. dissert. de Probabilismo.

ARTICULUS V.

Alia solvuntur argumenta Recentioris.

173 **O**biiic. 5. In concursu duorum bonorum simul incompatibilium , quorum alterum est certum , & alterum dubium , prudentia dictat , quod eligatur prosecutio boni certi , & omittatur prosecutio boni dubii. Igitur in casibus supra dictis Confessarius prudenter eliget opinionem minus probabilem , tamquam bonum certum ad salutem poenitentium , & omittet electionem opinionis magis probabilis , utpote bonum dubium , nam forte coram Deo erit falsa. Respond. conc. ant.

quando prosecutio boni est per medium licitum;
& neg. quando est per medium illicitum, & ma-
lum, quod accidit eligendo opinionem minus pro-
babilem, ut supra probatum est. siquidem non
sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.

174 Obiic. 6. Ex duobus malis minus est eli-
gendum: g. Confessarius prudenter, & licite eli-
get opinionem minus probabilem in directione
poenitentis, tamquam minus malum, ad vitanda
in poenitente maiora mala, nempe, peccata for-
malia. Respond. neg. conseql Illud enim, ex duo-
bus malis &c., intelligitur de duobus malis simili
inevitabilibus, uti docetur Div. Gregorius lib. 3.
Moralium, dicens: Si omniho nullus sine peccato
evadendi aditus patet, q minoras semper elegantur.
Confessarius autem in casibus à Recentiore pro-
positis non invenitur inter duo mala simul ine-
vitabilia, ut minus malum eligere possit. Inven-
iatur quidem, si illi esset illicitum, & malum
non solum eligere opinionem minus probabilem,
sed etiam magis probabilem. Electio autem op-
inionis magis probabilis tunc Confessario est lici-
ta, quamvis ex hoc sequantur in poenitente pecca-
ta formalia. Hoc enim esset per accidens, & pae-
ter intentionem Confessarii, & imputandum non
esset Confessario, sed poenitenti, qui voluntarie
L

De benignitate in opinando.

peccaret. Confessarius teneretur saltem ex charitate ad vitanda peccata poenitentis, si posset per medium licitum, per medium autem illicitum, nec debet, nec potest. Electio autem opinionis minus probabilis est medium illicitum, uti probatum est. Deinde tunc aliud medium licitum superest. Confessario, ne mperie efficaciter comendare poenitenti memoriam Novissimorum, nam memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis. (Eccli. 7. v. 40.) Nam si oīm emētōq. n. 175. Obiic. 7. I. Eāēō opīnōjōnes bīsunt vitandae, quae perplexitatem & acutitrationem inducunt. Cap. Litteras. §. Nos autem de restit. spoliati; sed Anti-Probabiliſmus absque limitationibus, & restrictionibus a Recentiore propositis, intrincatiohem, ac perplexitatem necessario pariet, tum in Confessario, sicut in poenitente. g. &c. Min. prob. Nam quotiescumque Confessarius iudicet, opinionem sibi probabiliorem obnoxiam esse possé saluti spirituali poenitentis, contrariam vero, quam homines pii, ac docti sequuntur, salutarem, ac proficiam, cānceps, ac perplexus erit, circa opinionem, quam eligere debet. Nam si opinionem suaē contrariam, sibique minus probabilem, sequatur, peccabit. Si autem opinionem sibi probabiliorem eligerit, etiam peccabit, nam sic occasiōnem

praestabit poenitenti, committendi peccata for-
malia.

176 Neque valet dicere, quod tunc est me-
dium optimum mittere poenitentem ad alterum
Confessarium, contrariam opinionem bona fide
tenentem: quia forte talem Confessarium non in-
veniet poenitens, sicque in magnam confusionem
incurret. Deinde aliud incommodum occurrere tunc
potest. Nam poenitens potest ad duos, vel plures
Confessarios accedere, quiquidem opiniones con-
trarias sequantur. Unde si unusquisque poeniten-
tem dirigere teneatur, iuxta opinionem sibi pro-
babiliorem, poenitens inter contrarias opiniones
constitutus, & undique doctrinis contrariis cir-
cumdatu*s*, in magnas, & amaras angustias ne-
cessario incitet.

177 Alterum etiam ex illo oriri potest in-
commodum. Nam supponamus, quod poenitens
recipiendo pecuniam, commisit simoniam. Hic
poenitens pecuniam restituere debet ipsi, a quo
pecuniam recepit, iuxta aliquorum opinionem.
Secundum opinionem tamen aliorum restitutio pe-
cuniae fieri debet Ecclesiae, vel pauperibus. Acce-
dit itaque Poenitens ad unum Confessarium, con-
fusateturque suum peccatum; & Confessarius illi
praecipit, ut pecuniam restituat Ecclesiae, quia

Confessario istud videtur probabilius. Postea Poenitens accedit ad alterum Confessarium, qui probabilius existimat, illam restitutionem fieri debe-re illi, à quo recepta est pecunia. Quare iste secundus Confessarius tenebitur dicere poeniten-ti, restitutionem non fuisse iusta factam; debereque fieri illi, à quo recepta est pecunia: tenebitur igitur Poenitens bis restituere; quodquidem proculdubio magnum est incommodum. Unde, &c.

178 Respond. negando cum omnibus Probabilioristis, Anti-Probabilismum intrincationem, & perplexitatem ~~inducere~~, quamvis Anti-Probabilis-mus consideretur, & accipiatur absque limita-tionibus, & restrictionibus à Recentiore proposi-tis; quin contrarium probent incommoda ab ipso obiecta.

179 Ad primum obiectum respond. nullam oriri rationabilem perplexitatem in Confessario circa electionem opinionis magis probabilis. Nam eligendo opinionem sibi probabiliorem, nulla est perplexitas, cum iusta omnes Theologos (Tu-tioristis exceptis) hoc licitum sit. Neque ulla ra-tio perplexitatis oritur ex eo quod poenitens committere possit peccata formalia, si dirigatur secundum opiniones probabiores. Nam hoc esse per accidens, & praeter intentionem Confessarii,

eique non imputandum , sed poenitenti , uti dictum est , num. 174. Confessarius enim non tene-
tur , nec potest per medium illicitum procurare ,
ut vitentur peccata in poenitente , nec relinquere
propter hunc finem opiniones probabiliores , &
verisimiliores ; quia utilius scandalum nasci per-
mittitur , quam veritas relinquatur. Vid dicta à
num. 40. & à num. 153.

180 Ad alia incommoda obiecta respond.
quod eadem , vel similia inveniri possunt in sen-
tentia Recentioris dirigendo poenitentes secundum
opiniones minus probabiles. Nam opinione s , quae
aliquibus viderentur certo , aut satis probabiles ,
aliis possent apparere dubiae , aut non satis pro-
babiles : ita saepe accidere constat experientia , &
ex ipsis libris Theologorum Probabilistarum. Quare
si Poenitens dirigeretur per opiniones minus pro-
babiles , posset ab uno Confessario dirigi secun-
dum unam opinionem , quam postea alter Con-
fessarius posset iudicare improbabilem , aut du-
bie probabilem , & sic sequerentur etiam ex hac
directione probabilistica eadem incommoda obiecta ,
vel similia.

181 Ex huiusmodi itaque incommidis , ac
difficultatibus , quae inveniri possunt in directio-
ne poenitentium iuxta opiniones probabiliores , non

sequitur intricatio , neque perplexitas. Nam tunc consulendo Sapientiores , invenietur veritas , vel maior probabilitas , cui standum est , quamvis resolutio , & sententia dura sit. Haec enim sunt onera , quae in dubiis circa leges , & praecepta inveniri solent , & portare debemus ; non minora quidem sustinent homines pro rebus terrenis. Si vestimentum empturus , unum gyras negotiatorem , & alterum , & ubi meliores veste inveneris , & praetiosiores , ab illo comparas ; cur non opportet populum circuire omnes Doctores , & inquirere ubi sincera veritas Christi venundetur ? Inquit Chrysostom. homil. 44. in Math.

182 Obiic. 8. Ex parte Missionariorum Parauariae in India Occidentali proposita fuerunt Urbano VIII. varia dubia emergentia circa matrimonia illius barbarae Gentis ; simulque ei fuit supplicatum , ut ad tollendos scrupulos , qui inde oriebantur , dispensandi in huiusmodi casibus facultatem concederet. Urbanus autem VIII. respondit , quod ubi Doctorum sententiae utrumque probabiles intercederent , sequerentur opiniones pro conditione locorum , & hominum Barbaris favorabiliores. Igitur in hoc innuit Pontifex , usum opinionum esse acomodandum conditioni hominum , cum quibus agitur ; ac proinde Confessarius de-

bet benigne procedere, & uti aliquando in directione poenitentium opinionibus minus probabilibus, &c.

183 Sed si ita esset, quod usus opinionum acommodandus esset conditioni hominum, possent Confessarii poenitentes communiter dirigere iusta doctrinam Probabilismi, quae quidem accommodatur communi hominum conditioni; hoc autem falso est, iuxta communissimam Theologorum sententiam.

184 Respond. itaque imprimis, Responsum Urbani VIII. prout proponitur in argumento, non satis constare. Illud enim desumptum est ex Historia Paraquariae scripta à Patre Nicolao del Techon, in qua non referuntur formalia verba Urbani VIII. quae Historicus ille forte non vidit, & ex solo auditu retulit. Quare de aure in auctoritate corrupti illa potuerunt, atque sic corrupta cum illorum sensu ad praedictum Historicum pervenire, & sic bona fide illa referre. Unde illud Urbani VIII. Responsum non satis constat. Deinde Declarationes, & Responsa Summorum Pontificum, quae authentica non sunt, integrum fidem non merentur, prout declararunt nonnulli Romani Pontifices. Vid. Thyrsum Gonzalez de rect. usit opinionem.

185 Respond. 2. dato, quod praedictum Responsum fuerit Urbani VIII. ex eo tamen adhuc non satis probatur doctrina Recentioris. Nam verba illius admittunt alterum sensum, in quo rationabilius debent intelligi, nempe de opinionibus probabilioribus, & benignioribus, & de opinionibus aequo probabilibus, quae in Iure vocantur *benigniores*, & *favorabiliiores*, nempe, quae sunt in favorem matrimonii, dotis, libertatis, testamenti, &c., de quibus postea amplius dicetur a num. 212.

186 Quod de his , & non de opinionibus minus probabilibus debeant intelligi verba dubia Romanorum Pontificum , probatur ex usu & praxi illorum in suis decisionibus , & Responsis , numquam decidendi , aut respondendi secundum doctrinas , vel opiniones minus probabiles . Nam ambigua dispositio iuxta id , quod communiter fieri consuevit , intelligenda est . Cap . Quod translat . 4 . de offic . Delegat . Et praesumtio stat pro communiter accidentibus .

ARTICULUS VI.

*Reliqua Recentioris argumenta
exploduntur.*

Obiic. 9. praedicta doctrina traditur à Cl. Christiano Lupo, qui pro ea allegat aliquos SS. PP. & Romanos Pontifices. Haec sunt illius verba. *Quinta quaestio est, an quis libere, & sine gravi peccato sequi contra proprium iudicium possit sententiam aliis probabilem?* Respon. Posse, dum cogit aliqua dispensatoria necessitas. Ita S. Draconius obedivit iudicio S. Atanasii contra proprium. Et quisque subditus similiter imperanti Praetato, aut Principi debet obedire. Ita & S. Augustinus bona fide contractis post dimisam adulteram nuptiis permisit dari Ecclesiae Sacraenta: dum nempe illi susulti probabili sententia, nollet separari. Nec dubito quin Augustinus istud ipsum aliquando fecerit, atque ita dispensatorie egerit contra propriam sententiam. Ecclesiarum Praepositi ob graves causas possint imino & debeant quandoque decernere, atque operari ex alieno iudicio. Nam & quidam Romani Pontifices dicuntur ob

88 De benignitate in opinando
similes rationes contra propriam sententiam dispen-
sasse in matrimonio rato. Locum tunc obtinet S.
Cypriani Regula. Arbitrii tui potestatem babet
quisque Praepositus, actus sui rationem Domino re-
diturus. Et quod ipsa Divina Clementia sit admissu-
ra existimo, non dubitandum. At vero ex propria
citra necessitatem electione nemo possit operari con-
tra propriam sententiam. Et enim propria sententia est
quasi quaedam conscientiae species, quam nemo
possit praevaricari. Et qui nunc ex hac, nunc ex
ista sententia circa necessitatem operantur, sunt
palam vertuni, & haud dubie venantur proprium
commodum, adeoque non ex sola tunc ignorantia
peccant, sed insuper ex concupiscentia. Si materia
fuerit capax, erunt peccata mortalia. Igiter, &c.

188 Respon. neg. conseq. in ea amplitudine,
& extensione, in qua Recentior tradit doctrinam
suam: in tanta enim amplitudine à nullo ex adductis
Doctoribus traditur. Docet Christianus Lopus, li-
citum esse sequi contra proprium iudicium sen-
tentiam aliis probabilem, dum cogit aliqua dis-
pensatoria necessitas; ex hoc autem non sequitur,
quod Christianus Lopus doceat sententiam Recen-
tioris in ea amplitudine, in qua à Recentiore
traditur.

189 Ut hoc ostendatur, advertendum est,

quod Christianus Lupus loquitur de sententia aliis probabili, id est, probabiliori; & Confessario, vel alteri minus probabili; Affirmatque licitum saepe esse, sequi contra proprium iudicium sententiam illius probabiliorem. Hoc autem multipliciter esse potest, quin sit in sensu à Recentiore praetenso.

190 I. Ex mandato Praelati, vel Principis, potest subditus, vel vassallus. Hoc tamen potest esse deponendo proprium iudicium de minori probabilitate propriae opinionis, & iudicando esse probabiliorem, eo quod probabilior appareat Praelato, vel Principi, quos melius opinionis fundamenta examinasse, credendum est. Et sic qui illam opinionem sequitur, non sequitur iam opinionem minus probabilem, sed magis probabilem.

191 Vel potest hoc esse, non deposito iudicio de minori probabilitate propriae opinionis, urgente tamen ac cogente mandato Praelati, vel Principis. Quamvis tamen non deponatur tunc dubium speculativum, deponi debet dubium practicum, formando iudicium certum de licita sequela illius opinionis minus probabilis, ob mandatum Praelati, vel Principis, cui subditus, vel vassallus, in dubio obedire tenetur, quia tum Praelatus, tum Princeps sunt in posessione certa suae potestatis.

192 Ita docet Div. Augustinus (in lib. 22. cap. 75.) dicens: *Virum iustum, si sub Rege etiam sacrilego militet, recte posse illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas impetrandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Praelatus enim, & Princeps sunt in certa posessione praecipiendi, & obligandi, qua posessione expoliari non debent ob dubium subditi, vel vassalli; nam *certum non tollitur per incertum.* Unde tunc obedire tenentur, & licite possunt.

193 Tunc quidem licitum est, sequi opinionem minus probabilem: sed hoc est, quia tunc minus malum est, nam obligatio obediendi tunc est maior, & fortior obligatione sequendi opinionem, subdito, vel vassallo probabiliorem, propter dicta. Ex hoc autem non sequitur, quod Confessarius uti possit in directione poenitentis opinione minus probabili, ea latitudine, & extensione, qua dicit Recentior.

194 In casu proposito, subditus, & vassallus constituti sunt inter duo mala: unum sequendi opinionem sibi minus probabilem: alterum non obediendi Praelato, vel Principi; vel inter duo

praecepta contraria , quae simul observari non possunt. Quare tunc eligere debent minus malum, iuxta dicta num. 174. et observare praeceptum fortius iuxta dicta à num. 53.

195 Recentior autem extendit usum opinio-
nis minus probabiles ad casus , in quibus Con-
fessarius non est constitutus inter duo mala simul
inevitabilia , nec inter duo praecepta , quae ad-
versari videntur. Poenitens enim debet se submittre-
re , & obedire Confessario in directione per opi-
niones probabiliores. Si autem non submittitur,
vel ex eo incidit in peccata formalia , hoc est
voluntarium in poenitente. Unde non datur tunc
aliqua urgens necessitas , ut Confessarius
possit uti opinione minus probabili in directione
poenitentis , nec poenitens est constitutus inter duo
mala simul inevitalia ; nec inter duo praecepta ,
quae adversari videantur. Quare Confessarius uti
non potest opinione probabili in directione poe-
nitentis , ea amplitudine , qua dicit Recentior.

196 II. Sequi contra proprium iudicium sen-
tentiam aliis probabilem , licet in casibus urgen-
tibus extremae , aut summae necessitatis , ut in
administratione baptismi , & Poenitentiae in arti-
culo mortis , baptizando in aqua minus probabi-
liter valida , sub conditione ; & similiter absolu-

vendo poenitentem minus probabiliter dispositum. Tunc enim in re non datur usus opinionis minus probabilis. Nam vel opinio minus probabilis tunc coram Deo est vera, vel falsa? Si est vera, non reducitur ad primum aliquid minus probabile. Neque si est falsa, nam ministratio sacramenti fuit sub conditione, ita ut intentio ministri defuit, si coram Deo opinio erat falsa. Quare tunc nulla sit Sacramento iniuria: et cum aliunde tunc sit causa, & necessitas, ex nullo capite illud est illicitum. Idem forte dicendum erit de dispensando sub conditione in aliquibus casibus maxime, & urgentis necessitatis.

197 III. Sequi contra proprium iudicium sententiam aliis probabilem, seu probabiliorem, potest esse *passive*, & *permissive* tantum, iustis de causis non reprobando, nec condemnando in aliis usum illius opinionis; sed tacendo, ac relinquendo eos in sua opinione, praesertim, si eam docent Theologi docti sanae, doctrinae. Sic Praelati, & Superioris permitunt suis subditis sequi opiniones illis probabiliores, quamvis ipsis Superioribus sint minus probabiles. *Vid. dicenda à num. 310.*

198 Sic etiam Confessarii permettere solent poenitentibus usum, & primum aliquarum opinionum, quas alii Confessarii non minus docti,

& sanae doctrinae assertores, ipsis tradiderunt tamquam probabiliores, quasque bona fide sequuntur; quamvis aliis Confessariis videantur minus probabiles. Non enim indicare debent, ipsos solos esse videntes. Et Apostolus (ad Rom. 14. ¶. 5.) ait: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Similiter Praelati Ecclesiae ad maiora vitanda saepe aliqua mala permittunt, quin illa aprobent. **Ecclesia Dei** inter multam palleam, multaque zizania constituta, multa tollerat, & tamen quae sunt contra fidem, vel bonos mores non aprobant, ait S. Augustin. Epist. 119. cap. 19. *toilido*

199 In aliquo sensu ex dictis intelligenda sunt illa, quae dicit Christianus Lupus; non vero extendenda sunt ad alios sensus, & casus, ad quos illa extendit Recentior, non tantum passive, sed etiam active, quedam modo influendo, praesertim dum dicit: *Dico, ac firmiter propagno, Confessarium caritate ductum, dirigere poenitentem posse praedicta doctrinam, absque mendacio, dicendo poenitenti, quod in talibus, aut talibus casibus non peccabit, vel ad summum venialiter, iuxta Doctorum Magistrorum sententiam illam docentium, bonisque rationibus eam probantium.* Haec enim amplitudo nimia est, atque de nullo antiquo Dottore in dubio est praesumenda.

96 De benignitate in opinando

200 Obiic. 10. Ex Dix Thom. (quodlib. 9.
art. 5.) dicente: *Omnis quaestio, in qua de pec-
cato mortali agitur, nisi expresse veritas habeat-
tur, periculose determinatur: g. &c.* Si argumen-
tuin teneret in sensu arguentis, & pro eius
doctrina, teneret etiam universaliter pro doctrina
Probabilismi, quam universaliter Recentior non
admittit. *Deo opinio erat falsa. q. sicut nupis uelq.*

201 Respond. igitur neg. conseq. Nam in hac
quaestione habetur expresse veritas doctrinae, op-
positae doctrinae Recentioris, nam est doctrina
probabilior; & maior probabilitas est veritas mor-
alis. Hoc patet ex Jure arg. L. Cum quid. ff. de
rebus creditis, si certum petatur: adeo ut idem re-
putetur, veritatem pro se habere, & praeceptio-
nem in maiori verisimilitudine fundatam pro se ha-
bere, ut post Jasson bene advertit Strein in Re-
gul. 45. n. 2. arg. L. *Licet Imperator.* 78. ff. do-
mit. 1. Et verisimilitudo onus probandi nonnum-
quam in adversarium reticit. arg. L. sive posside-
tis. 16. de probation. ac non nisi validioribus ra-
tionibus elidi valet. L. non est verisimile fin. quod
metus causa. Deinde maior probabilitas est quae-
dam certitudo moralis, iuxta dicta à num. 40.
& à n. 200. & 544. dicenda.

202 Obiic. 11. Ex Gersonio (de vit spirit.

lect. 4.) dicente: *Doctores Theologi non debent esse faciles in asserendo aliqua esse peccata, ubi non sunt certissimi de re: g. &c.* Respon. in praesenti solum reprobari usum opinionis minus probabilis, & minus tutae, & hoc fit post diuturnas disputationes, ex quibus Theologi Anti-Probabilistae certissimi sunt de illius usus illicitate. Unde non sunt faciles in reprobando usum opinionis minus probabilis, &c.

203 Obiic. 12. Ex S. Raimundo de Peñafort (lib. 3. de poenit.) dicente: *Non sit pronus iudicare mortalia peccata, ubi non constat per certam scripturam.* Resp. usum opinionis minus tutae, & minus probabilis esse illicitum, satis certo constare ex scriptis SS. PP. & antiquorum Theologorum, etiamque iam communissime Recentiorum, atque etiam ex Sacra Scriptura Vid. Luminaria Theolog. Moral. tom. 2. dissert. de Probabilismo.

204 Obiic. 13. Ex Antonino (in sum. part. 2. tit. 4. c. 5.) dicente: *Si vero non potest (Confessarius) clare percipere utrum sit mortale, non videtur praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem; vel illi faciat conscientiam de mortali; sed cum promptiora sint iura ad absolvendum, quam ad ligandum,* & me-



*Ius sit reddere rationem de nimia misericordia,
quam de nimia severitate, ut dicit Chrisostomus,
potius videtur absolvendus, & divino examini di-
mittendus: g. &c.*

205 Respon. S. Antoninum non loqui de opi-
nione minus probabili, cuius usum clare repro-
bat aliis in locis, adductis in *Luminar. Theolog.
Moral. tom. 2. dissert. de Probabilism.* Et ratio
est, quia S. Antoninus ait: *Si vero (Confessa-
rius) non potest clare percipere, utrum sit morta-
le. Hoc autem non accidit, quando concurrunt
contrariae opiniones, & una est probabilior al-
tera, nam tunc iam satis percipitur veritas, cum
maior probabilitas sit quaedam veritas, & certi-
tudo moralis, iuxta dicta à num. 40. & à n. 201.*

206 Loquitur quidem S. Antoninus, in casu,
in quo Confessarius propter aequalem probabili-
tatem opinionum, seu rationum contrariarum ve-
ritas sit obscura, & clare non percipiatur, an
illud sit mortale, vel non? Et tunc si opinio,
quae dictat non esse mortale, est christiane be-
nignior, est tenenda à Confessario. Iste videtur
sensus S. Antonini, de quo in praesenti Disser-
tatione amplius dicetur. Non igitur approbat S.
Antoninus usum opinionis minus probabilis in
sensu Recentioris. Vid. n. 205. Aliud enim est

permittere , vel tacere ; aliud approbare usum opinionis minus probabilis.

207 Obiic. denique alias auctoritates. S. Gregorii Nazianzeni (orat. 26.) dicentis : *Hortamur Sacerdotes , ut cum poenitentibus leniter agant , ex libro Apostoli ad Galatas , instruite in spiritu lenitatis.* S. Odilonis Abbatis : *Si damnandus sim , malo tamen de nimia misericordia , quam ex duritia damnari.* S. Bernardi (serm. S. Andreae) : *Habeat (Confessarius) in voluntate compati , & liberare eum.* Prologi antiquarum Constitutionum Cl. Ordinis S. P. D. Dominici : *Laxanda est rigitas , & austertas in consiliis.* Igitur , &c. Respond. has omnes auctoritates , & similes solum reprobare nimium rigorem in opinando Tutioristarum , & aliquorum valde severorum ; & commendare velle christianam , iustumque opinandi benignitatem ; non vero probabilisticam , extendentem se ad opiniones minus probabiles , nam haec nimis laxa est , & iniusta. Vid. *Luminar. Theolog. Moral. dissert. de Probabilismo.* in tom. 2.

QUAESTIO III.

Quid, & quotplex sit opinio benignior?

ARTICULUS I.

Quid sit in genere opinio benignior?

208 **A**lic advertere opportet quid sit misericordia, quidque benignitas, quod iam diximus à num. 113. Ibi etiam notatum est, quod misericordia (& similiter benignitas) est duplex; altera christiana, & iusta; altera carnalis, & iniusta. Carnalis, & iniusta est, quae nec lege, nec ratione, sed passione guvernatur, & regitur. Benignitas christiana, & iusta est, que non passione, aut carnali affectu, sed lege, & ratione dirigitur.

209 Unde similiter opinio benignior duplex est. Altera carnalis, & iniusta; altera christiana, & iusta. Opinio benignior carnalis, & iniusta est, quae non est secundum legem, & rationem, sed secundum passiones, & affectiones carnales, & humanas. De opinione benigniore virtuosa, & iusta

non invenio definitionem quidditativam à maioribus traditam ; solumque asignantur , & recententur opiniones benigniores in utroque Jure , & ab aliquibus Theologis , uti postea ostendemus . Quare sequentem illius descriptionem asingo .

RESOLUTIO

210 *Opinio in genere christiane benignior est, quae legi christianaे misericordiae , ac benignitatis est conformis , & consentanea.*

211 Haec descriptio colligitur ex S. Ambrosio , quem in Ps. 118. super illa verba , et de lege tua miserere mei , allegat *Incognitus* , dicens : „ Notat hic Ambrosius , quod sola illa vocatur „ misericordia , quae de lege procedit , utpote cum „ miseretur , cui miserendum est , & non misere- „ tur , cui non est miserendum . Cum dimittitur , „ quod dimittendum est ; & quod dimittendum non „ est , non dimittitur . Unde hic Ambrosius : *Le-* „ *ge miseretur , qui cum iustitia , sapientia que* „ *miseretur , ut scilicet , dimittat , quae scit iure* „ *posse dimitti ; ne cum aliis miseretur , se ipsum* „ *faciat legis obnoxium..... Ex quibus vult habe-* „ *re Ambrosius , quod non omnibus est miserend*

dum; sed de lege, id est, secundum dictamen
legis, & rectae rationis.

sententia opiniones benigniores in iure dicitur Latine, &
seu in iure dicitur Latine, & in legibus Tiberio de seconde pars de
dictum.

ARTICULUS II.

*De opinionibus, quae in iure vocantur
benigniores, seu favorabiliores.*

*P*212. Iures sunt opiniones, quae in Jure communiter dicuntur benigniores, seu favorabiliores, ac proinde sunt praferendae oppositis, dummodo sint aequae probables. Imprimis dicuntur *specialiter* favorabiliores, seu benigniores istae quatuor, quae sunt in favorem matrimonii, dotis, testamenti, & libertatis, ut constat ex his Glossae, versiculis.

Stat testamentum, libertas, coniugium, dos;
Si sint aequales, qui producuntur utrumque.

213. Item similiter sunt opiniones benigniores, quae favent iuramento, Sacramento, Religioni, vel rebus piis, ac religiosis; vel orphano, viudae, peregrino, vel alteri miserabili personae.

Dissertatio Juridica, & Moralis. 103

Item quae favent reo, & quae stat pro valore actus. Hoc autem intelligendum est, dummodo sint opiniones aequales in probabilitate respectu contrariarum opinionum.

204 Quod istae opiniones sint etiam benigniores, expresse docent graves Doctores. Impensis S. Joannes à Capistrano (in suo *Speculo Conscientiae* num. 37.) ait: *Dicitur opinio benignior illa, quae favet iuramento, matrimonio, libertati, Religioni, sive Reo.* Quod etiam sit opinio benignior, quae favet *Sacramento*, docet B. Angelus à Clavasio, cuius verba postea adducemus.

215 Item (aliis omissis) Martinus Azpilcueta Navarrus (ob eius egregiam Juris peritiam *Monarcha Juris* vocatus) in suo *manuali Confessorum* cap. 27. in d^o 286. verba sequentia scribit (de hispano idiomate in latinum versa):, Si fundamenta unius (*opinionis*) non sunt plura, nec fortiora aliis alterius opinionis, eligenda est benignior, seu favorabilior, uti est, quae favet iuramento, matrimonio, doti, testamento, aut libertati, vel aliis rebus piis, ac religiosis, vel orphano, viduae, peregrino, aut alteri misericordi personae; quae favet privato contra Fiscum. Hoc tamen est intelligendum, quando Fiscus fundat se super delictum privati, uti

„ bene expressit Decius; alias enim potius faven-
 „ dum est Fisco: *quae stat pro valore actus; si-*
 „ *ve actus de cuius valore agitur, sit ultima vo-*
 „ *luntas cuiuscumque speciei; sive sit contractus,*
 „ *sive libellus de litis contextatione, vel senten-*
 „ *tia definitiva, vel interlocutoria, sive aliud*
 „ *quodcumque decretum iudiciale, vel Rescrip-*
 „ *tum, vel privilegium.* Nam praesumptio quod
 „ *actus valeat, coeteris est fortior, quamvis subs-*
 „ *tantia actus sit in favorem Actoris, & in dam-*
 „ *num Rei. Denique (dummmodo pro utraque par-*
 „ *te detur aequalis probabilitas) eligenda est (opi-*
 „ *nio) quae favet Reo.*"

216 Opportet autem notare, quod opiniones benigniores non sunt omnes aequaliter benigniores, sed quaedam sunt benigniores aliis, proindeque dum simul concurrunt, praferenda est benignior. Sit exemplum: Opinio aequa probabilis in favorem Rei, secundum se, & absolute est opinio benignior, & oppositae praferenda, iuxta Regulam Juris in 6. cum sunt partium iura obscura, Reo favendum est potius quam Actori. Veruntamen in casibus, in quibus Actor sovet aliquam ex quatuor causis specialiter favorabilibus, quae sunt matrimonium, dos, libertas, & testamentum, tunc opinio aequa probabilis, quae stat

pro aliqua ex his quatuor causis, est praeferen-
da, quia istae quatuor causae sunt magis specia-
liter benigniores.

ARTICULUS III.

*An opinio, quae solvit, benignior sit
ligante, seu obligante, & in quo sensu?*

RESOLUTIO I.

217 *Opinio, quae solvit, benignior est ligante,
seu obligante.* Ita expresse docent Graves DD.

218 Imprimis ita expresse docet B. Augelus
á Clavasio (in sua Summa Angelica verb. *opinio*)
his verbis: *Opinio benignior dicitur illa, quae fa-
vet iuramento, testamento, libertati, matrimonio,
religioni, & Sacramento, facit c. 2. de cogn.
spirit. L. sunt personae. ff. de reli. & sum. fine.
Similiter QUAE SOLVIT, QUAM QUAE LI-
GAT. Reg. odia. lib. 6. L. Arrianus ff. de act.
& obligat.*

219 Item Silvester Sacri Palatii Magister (in
sua Sum. verb. *opinio*) ait: *Dicitur (opinio) be-
nignior ea, quae favet iuramento, libertati, ma-*

O

216 *De benignitate in opinando* ~~sunt~~
trimonio, religioni, & Sacramento. arg. cap. si de
cogna. spi. et L. sunt personae ff. de relig. & sum.
fune. Et similiter EA, QUAE SOLVIT, BE-
NIGNIOR EST LIGANTE. de reg. Jur. Odia.
lib. 6. L. Arrianus. ff. de actio. & oblig. Simili-
ter locuntur alii DD. postea allegandi.

220 Sed quaeri potest, qua ratione, aut quo
sensu opinio, quae solvit, benignior sit ligante,
seu obligante, iuxta praedictos Doctores? Respond.
Sensus esse videtur, quod cum opposita opinio,
quae ligat, seu obligat ad aliquid faciendum, vel
exequendum, praesertim sub gravi, eo ipso sit
incommoda, molesta, & dura, ac proinde quo-
dam modo odiosa; consequenter opinio, quae
solvit ab illo onere, molestia, & incommodo,
erit suavior, ac benignior ligante, seu obligante.

221 Non enim solum poenae propriae, &
stricte tales, sed etiam omnia molesta, dura, &
incommoda sunt quodam modo odiosa. Opinio
autem, quae obligat ad aliquid faciendum, vel
exequendum, praesertim sub gravi, hominem li-
gat spirituali vinculo praecepti, vel legis (quae
à ligando dicitur): hominem privat sua libertate,
quae *inaestimabilis res est* (de Regul. Jur. Re-
gul. 106.) Et *omnibus rebus favorabilior est*. (Re-
gul. 112.) Opinio igitur, quae sic ligat, & obli-

gat, quodam modo odiosa est, & quae solvit, quodam modo est benignior. Nam si hominem à gravi onere, & molestia, v.g. à materialibus vinculis liberare, & solvere opus benignitatis est, etiam erit liberare, ac solvere illum ab oneribus, & vinculis spiritualibus. Hac igitur ratione opinio, quae solvit, erit benignior, iuxta allegatos Doctores, respectu oppositae ligantis; & haec quae ligat proinde erit quodam modo odiosa.

222 Quod iste sit sensus praedictorum DD. colligitur ex eo quod ipsi allegant pro sua doctrina Regulam Juris in 6. *odia restringi, & favores convenit ampliari.* Et L. Arriamus. ff. de actio. & oblig. *Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus, si habeamus occasionem ad negandum; ubi de liberando quaeritur, ex diverso faciliores simus ad liberationem.*

RESOLUTIO II.

223 *Opinio, quae solum quia solvit, est benignior ligante, non est specialiter, sed solum generaliter benignior.*

224 Certum est, dari opiniones specialiter benigniores & sunt illae iam recensitae artic. 2. à

118 *De benignitate in opinando*

num. 212. usque ad 216. Si igitur dantur opiniones specialiter benigniores, dantur etiam opiniones specialiter odiosae; & illae erunt, quae oppositae sunt specialiter benignioribus.

225 Ex hoc colligitur, quod etiam dantur opiniones generaliter benigniores, & generaliter odiosae. Nam quae sunt, & dicuntur specialiter benigniores, ideo sic dicentur, ut condistinguantur ab aliis opinionibus, quae non sunt specialiter, sed tantum generaliter benigniores. Consequenter itaque admittendae sunt opiniones tantum generaliter odiosae, & erunt illae, quae oppositae sunt generaliter benignioribus.

226 In hoc sensu videtur, esse intelligendos praedictos Doctores. Nam posquam ipsi recensuerunt opiniones specialiter ~~postquam~~ benigniores, ut in artic. 2. à num. 212. aliam speciem opinionis benignioris adiiciunt, dicentes: *Similiter opinio, quae solvit, benignior est ligante*; id est, praeter recensitas opiniones specialiter benigniores, datur alia opinio similiter benignior, nempae, opinio, quae solvit, benignior est ligante, vide dicta art. 3. à num. 217.

227 Et haec opinio, quae solum quia solvit, benignior est, ligante, non est specialiter benignior, sed tangum generaliter. Quia non est be-

nignior aliqua speciali ratione , sicut sunt *specialiter benigniores* ; sed solum ex ratione generali solvendi ab aliquo onere , molestia , & incommodo , ad quod opposita opinio ligat , seu obligat , sub gravi , & sub poena aeterna , quae proinde est *odiosa generaliter* ; & consequenter opposita opinio , quae solvit , est benignior , non quidem *specialiter* , sed *tantum generaliter*.

228 Quare dum praedicti DD. dicunt , quod opinio , quae solvit , benignior est ligante , non loquuntur de opinione , *specialiter benigniore* , sed de *generaliter benigniore*. Datur enim etiam opinio , quae solvit , & est *specialiter benignior* , v.g. opinio aequa probabilis pro libertate , solvit à Servitute , & est *specialiter benignior* , iuxta dicta artic. 2. num. 212, quia solutio , & liberatio à servitute est res , quae *specialiter* exigit benignitatem. Alia vero onera , & incommoda communia , & generalia , solum *generaliter* , & communiter exigunt benignitatem. Quare opinio , quae solvit à communi onere , & incommodo , solum *generaliter est benignior* , & in hoc sensu intelligendam esse videtur doctrinam praedicatorum DD. Et in eodem sensu procedit ista *Dissertatio*.

ARTICULUS IV.

Quaenam opinio, quae solvit, sit christiane benignior, & quas conditiones ad hoc habere debeat?

RESOLUTIO I.

229 *Non omnis opinio, quae solvit, est christiane benignior ligante, seu obligante.*

230 Probatur, quia plures opiniones minus probabiles solvunt, ad quas non extenditur christiana benignitas opinandi, ut probatum est a num. 131. Nec extenditur ad plures opiniones aequae probabiles, quae solvunt, ut postea prohibetur. Igitur non omnis opinio, quae solvit est christiane benignior.

RESOLUTIO II.

231 *Opinio aequae probabilis, & benignior solum quia solvit ab aliquo communi onere, & gravamine, erit christiane benignior generaliter, si*

habuerit omnes conditiones necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem.

232 Nihil in Resolutione dicitur de opinione, quae solvit, & est magis probabilis, quia supponendum est concessum, & affirmatum de opinione magis probabili, quidquid dicitur, & resolvitur de opinione aequa probabili, in eodem sensu, & sub eisdem circunstantiis. Difficultas praesens est de opinione aequa probabili, cognita ut tali, post prudentem ac debitam discussionem. Resolutio procedit non de quacumque opinione aequa probabili, quae solvit; sed ut in ipsa Resolutione exprimitur, de sola opinione, quae est *benignior tantum generaliter*, quantum dumtaxat solvit ab aliquo communi onere, & gavamine. Unde non procedit Resolutio de opinione, quae solvit, & est *specialiter benignior*, v.g. opinio aequa probabili, quae solvit a servitate stricte tali, iuxta dicta in praesenti quaestione artic. 2. & 3. Neque sensus Resolutionis est in *dubio facti*; sed in *dubio stricto iuris*, quando opinio aequa probabiliter solvit ab obligatione legis. Et in hoc sensu erit christiane benignior, si habuerit omnes conditiones necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem, quae quidem sunt sequentes.

233 I. Conditio est, quod opinio aequa probabilis, quae solvit, non solvat contra bonos mores, seu contra aliquam legem. Nam opinio christiane benignior non debet esse maligna, seu nihil malignatis habere debet; immo debet esse innocens, & iusta. Opinio autem, quae solveret contra bonos mores, seu contra aliquam legem, non esset innocens, & iusta; sed nocens, maligna, & iniusta. Unde non esset christiane benignior. Ex eodem isto capite christiana benigniores non sunt nonnullae opiniones periculosae; proindeque contra bonos mores. Vid. a num. 103. 246. 537.

234 II. Conditio est, quod opinio aequa probabilis, quae solvit, solvat ex lege, & secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana. Quia opinio christiane benignior debet esse conformis, & consentanea legi misericordiae, & benignitatis christiana, iuxta dicta a num. 210. Igitur ex lege, & secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana debet solvere; & non secundum misericordiam, & benignitatem carnalem, & iniustum; alias esset benignior solum carnaliter, & iniuste, secundum dicta num. 209.

235 III. Conditio est, quod tunc concurrat lex misericordiae, & benignitatis christiana, & militet pro opinione solvente, tamquam lex fortior.

alia quacumque lege, militante pro opinione ligante, seu obligante.

236 Cum enim loquamur in concursu opiniorum aequaliter probabilem, quarum altera ligat, & altera solvit, datur tunc proprium, & strictum dubium. Pro opinione, quae ligat, seu obligat, militat iustitia exigens strictam, atque exactam observantiam legis ligantis. Pro opinione, quae solvit, concurrit, & militat misericordia; exigens, ut in illo stricto dubio homo non gravetur, nec obligetur, sed solvatur, & liberetur ab illo onere, gravamine, & molestia opinionis ligantis, seu obligantis.

237 Quare si omnibus consideratis, ac perpensis, quae pro utraque parte concurrunt, tum directe, tum reflexe, & concomitanter, pro opinionae quae ligat, seu obligat, concurrat, & militet iustitia, tamquam lex fortior, tunc lex iustitiae iuste exigit strictam, & exactam legis observantiam, quia tunc iustitia, utpote lex fortior praevalere debet, ideoque opinio, quae ligat, seu obligat, quamvis dura sit, & odiosa est observanda. Et consequenter opinio, quae tunc solvit, utpote iniusta, non est christiane benignior, nec eligenda.

238 Ut igitur opinio, quae solvit, sit chris-
P

tiane benignior, requiritur necessario, quod pro illa militet lex misericordiae, ac benignitatis christiana, tamquam lex fortior quamcumque alia lege, militante pro opinione, quae ligat. Nam si iuste, & christiane solvit; & absque iniuria alterius legis. Nam in concursu legum, quae invicem opposi*ti* videntur, iuste prevalet, & observanda est lex fortior, iuxta dicta à num. 217.

239 Ad facilius autem dicernendum, an opinio, quae solvit habeat praedictas conditiones, & sit christiane benignior, advertere oportet, quasdam esse opiniones ligantes, seu obligantes, cum quibus concurre non potest opinio opposita solvens, quae habeat conditiones requisitas ad opinionem christiane benigniorem, proindeque nec esse possit christiane benignior in sensu Resolutionis. Quaenam sint istae opiniones, in Regulis proxime proponendis explicabitur. Observetur igitur ante omnia opinio, quae obligat, & an sit aliqua ex illis, cum quibus concurrere non potest opinio, quae solvit, & quae simul sit christiane benignior. Si aliqua ex illis non fuerit tunc observa, an opinio, quae solvit, habeat omnes supradictas conditiones: si illas habuerit, erit christiane benignior. Ad cognoscendas opiniones ligantes, cum quibus concurre non potest

opinio solvens; & christiane benignior, do se-
quentes Regulas.

240. Regula I. Quando opinio, quae ligat versa-
tur in aliqua materia, in qua semper tenenda est opi-
nio tunc opinio, quae solvit, non habet omnes
conditiones necessario requisitas ad opinionem chris-
tiane benigniorem, nec est christiane benignior.

241 Ratio huius Regulae est, quia tunc pro
opinione, quae ligat, seu obligat, militat lex
fortior lege militante pro opinione, quae solvit.
Sunt quidem aequa probabiles directe ambae oppo-
sitae opiniones, & quae ligat, & quae solvit; at
vero reflexe pro opinione, quae ligat seu obli-
gat concurrit, & militat lex fortior, & ratio va-
lidior, immo certa moraliter; cum iam explora-
tum sit, & convenienter communiter Theologi, quod
in quibusdam materiis tenenda sit opinio tunc
quoniam liceat sequi opinionem minus tutam, non
solum aequa probabilem, sed neque probabilior-
rem. Unde tunc opinio quae solvit, non est chris-
tiane benignior, cum non habeat conditiones ad
illam requisitas. Una illarum est, quod pro illa mi-
litet lex misericordiae, tamquam lex fortior; quod
tunc non evenit; sed oppositum, nempe, tunc
militat lex fortior, & praevalens pro opinione
obligante. Ex hoc infertur, quod opinio, que
P 2

solvit, non habet tunc coeteras conditiones, quia solvit contra bonos mores, cum solvat contra legem tunc fortiorum; proindeque iniuste; & sic non ex lege, neque secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana*e* iuxta dicta à num. 233.

242 Quare opportet advertere in quibus materiis teneri debeat opinio tutior. Et dico cum communi sententia Theologorum, praesertim Probabilioristarum, quod in omnibus illis materiis, in quibus ignorantia invincibilis, & probabilitas etiam maior non iuvant ad obtainendum finem, quem ex aliquo titulo, lege, vel p*rae*cepto procurare debemus.

243 Hinc non licet sequi opiniones minus tutas, etiam probabiliiores, & tenendae sunt tutiores in sequentibus. I. In omnibus illis, in quibus agitur de procuranda sanitate corporis: de victoria sive in bello, sive in iudicio: de vitando sui, vel proximi damno, quod cavere debemus ex iustitia, vel charitate. II. In iis, quae sunt de necessitate medii ad salutem. III. In iis, quae necessario requiruntur ad validam susceptionem, & administrationem sacramentorum, uti sunt meteria, forma, &c. IV. Ad tutiorem partem amplectendam etiam tenentur, qui ad tutiora adhibenda ex con-

ventione, pacto, voto, vel superioris pracepto obligantur. V. Denique semper & quando ex aliquo capite generatur dubium practicum, quod homo expellere nescit nisi sequendo tutiorem pertem, haec est tenenda.

244 Regula II. Quando opinio, quae ligat, seu obligat, est benignior ea; quae solvit; tunc haec, quae solvit, non habet omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benigniorem, ac proinde non est christiane benignior.

245 Pro intelligentia huius Regulae advertere oportet, quod opiniones benigniores non sunt omnes aequaliter benigniores; sed aliquae sunt benigniores aliis. Ut enim supra dictum est à numero 212. quaedam opiniones sunt specialiter benigniores; quaedam vero tantum generaliter benigniores; et specialiter benigniores excedunt in benignitate generaliter benigniores; nam benignitas specialis est maior communi, & generali. Inter ipsas etiam opiniones specialiter benigniores quaedam sunt benigniores aliis, ut loco citato dictum est. His praemissis, ratio huius secundae Regulae est, quia benignitas maior preferenda est minori ex lege misericordiae, & benignitatis christiana. Nam lex misericordiae, & benignitatis oritur à charitate; charitas autem debet esse

De benignitate in opinando
ordinata, iuxta illud: Ordinavit in me charitatem
(cantic. cap. 2.) Quare charitas exigit, & praecipit,
servari ordinem iustum, & debitum in ipsa charitate.
Similiter igitur iudicandum est de misericordia, & benignitate.
Misericordia debet esse ordinata; praecipitque servari ordinem debitum
in miserendo, ita ut maior preferenda sit minori: et similiter benignitas.
Unde ex lege misericordiae, & benignitatis opinio benignior specialiter
preferenda est opinioni generaliter tantum benigniori;
quia benignitas specialis excellentior, & maior est benignioritate tantum generali.
Ex quibus patet, quod quando opinio, quae ligat, seu obligat,
est benignior solvente, tunc quae solvit, non est christiane benignior;
quia non habet omnes conditiones necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem.
Solvit enim contra debitum ordinem misericordiae, & benignitatis;
nam solvit minor benignitas, nempe, generalis,
contra benignoritatem specialem, & maiorem, ideoque contra bonos mores, utpote contra iustum
ordinem à lege misericordiae, & charitatis prescriptum.
Vide dicta quest. 3. à numero 208. & alia postea adducenda.

246 Regula III. *Quando opinio, quae ligat, seu obligat, non est christiane benignior,*

ne*c* versatur in aliqua materia in qua tenenda est pars tui*tor* (iuxta dicta in duabus Regulis prae*cedentibus*) tunc si opinio, quae solvit, habeb*et* omnes conditiones requisi*tas* ad opinionem christiane benignorem, erit christiane benignior. Imprimis enim tunc concurrit, & militat pro ea lex christiana misericordiae, & benignitatis tamquam lex fortior omni*al*ia quacumque le*ge* militante tunc pro opinione ligante, seu obligeante. Nam pro ista tunc solum militat iustitia legalis simplex, ac nuda (seu absque alio adiuncto agravante) exigens strictam, ac severam ob*s*ervantiam legis, in illo stricto dubio obligationis legis, nam ut supponimus concurrunt tunc opiniones aequi*prob*abiles pro & contra obligati*on*em legis. In isto autem stricto dubio, lex misericordiae, & benignitatis est lex fortior le*ge* iustitiae, utpote maioris ponderis, ac vistutis; nam si tunc ita non esset, quando talis esset? Et aliquando sic esse, certum est, iuxta illud Jacobi (epist. c. 2. v. 13): *Superexaltat autem misericordia iudicium* (seu iustitiam). Videantur dicenda a num. 374. Est igitur tunc lex misericordiae lex fortior le*ge* iustitiae, & militat pro opinione, quae solvit; & haec solvit tunc ex le*ge*, & secundum legem misericordiae, & benignitatis.

130 *De benignitate in opinando*
nitatis christiana; & cum haec sit tunc lex fortior omni alia lege, iuste solvit, & absque iniuria alterius legis. Unde tunc, ut consideranti patet, opinio, quae solvit, habet omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benignorem, & consequenter est opinio christiane benignior. Vid. dict. à n. 231. & dicenda à n. 374.

247 Ex his patet responsio ad argumentum, quod potest fieri, nempe, quod omnis opinio, quae solvit, solvit ab aliqua lege, proindeque contra bonos mores, & consequenter nulla opinio, quae solvit habet omnes conditiones supradictas, necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem, proindeque nulla est christiane benignior. Respond. enim, hoc esse verum, quando non solvit ex lege, & secundum legem christiana benignitatis, concurrentis cum virtute legis fortioris; non vero quando lex misericordiae, & benignitatis christiana concurrit, ut lex fortior, prout dictum est supra. Nam sic, licet solvat contra aliquam legem, iuste solvit, & absque iniuria alterius legis, proindeque non solvit proprie & formaliter contra bonos mores.
Vide à n. 374.

248 Inquires: quaenam sint in particulari opiniones aequae probabiles, quae solvunt, & sunt

Dissertatio Juridica, & Moralis. 131
christiane benigniores ligantibus, in sensu supradicto? Respond. asignari non posse in particulari omnes, nec pro omnibus.

249 Ratio est, quia cum in praesenti sermo sit de *opinione aequa probabili*, quae solvit, & non possint determinari, nec asignari in particulari, & pro omnibus opiniones omnes aequa probabiles, quia quae aliquibus videntur aequa probabiles, ab aliis concipiuntur, ut magis, vel minus probabiles; ideo impossibile est asignare pro omnibus opiniones, quae solvunt, & sunt christiane benigniores. Quare hoc relinquitur prudenti iudicio, consideratis considerandis.

250 Circa quod notandum est quod probabilitas alia est *subjectiva*, & alia *objectiva*. *Subjectiva* est quae habetur in mente opinantis; *objectiva* autem est, quae habetur in mente alterius opinantis. Unde si opinio A, quae aliquibus Doctoribus videtur minus probabilis, mihi videatur magis probabilis; mihi erit *subjective* magis probabilis; *objective* vero minus probabilis.

251 Similiter Si opinio B aliquibus Doctoribus videatur aequa probabilis; et a me examinata, mihi prudenter apparuerit minus probabilis, erit mihi minus probabilis *subjective*; et aequa probabilis tantum *objective*. Et tunc illa opinio,

si solvit, non erit mihi christiane benignior, quia mihi non est aequa probabilitas *subjectiva*; & doctrina data est intelligenda de aequali probabilitate *subjectiva*; non de tantum *objectiva*. Sicut dum dicimus, licitum esse, sequi opinionem probabilem, intelligitur de maiori probabilitate *subjectiva*; non de tantum *objectiva*. Vid. *Luminar. Theolog. Moral. tom. 2.* Unde quoad rem presentem non sufficit, quod opinio, quae solvit, sit aliquibus aequa probabilitas, si operanti non sit prudenter aequa probabilitas, sed minus probabilitas. Cum igitur saepe opinio aliquibus aequa probabilitas, sit aliis minus probabilitas, non possunt determinari, & asignari pro omnibus omnes opiniones aequa probabiles, quae solvunt, & sunt christiane benigniores.

252 Istaes opiniones quaeri possunt, ac inventari in aliquibus materiis Juris positivi, circa res solum malas quia prohibitas, & circa leges, & praecepta, presertim dura, incommoda, & molestia, proindeque odiosa miserabil hominum conditioni, uti sunt nonnullae opiniones eque probabiles obligantes ad abstinendum a carnibus, vel lacticiniis; vel ad ieunandum, &c. Item aliquae huiusmodi opiniones circa praecepta Superiorum quorumcumque; circa Regulas, vota essen-

talia, & mandata Religiosorum Ordinum, obedientiam, paupertatem, aliaque praecepta, tum generalia, tum specialia; atque praesertim circa Regulam S. P. nostri Francisci, quae quidem plena est praeceptis, duris, & molestis, uti de non equitando absque manifesta necessitate, de non recipiendo denarios, vel pecuniam, de non recurrente ad eam per amicos spirituales, nisi occurribus certis necessitatibus, ac de aliis pluribus. Deinde in omni statu frequenter occurrunt leges, & praecepta, quae obligant sub mortali, & sub periculo damnationis aeternae, atque circa illa sunt variae opiniones; quare illae, que obligant, sub mortali, durae sunt, & odiosae; si non *specialiter*, saltem *generaliter*, ut supra dictum est. Unde quae solvunt erunt *benigniores*; si non *specialiter*, saltem *generaliter*: et si habuerint conditiones omnes, supra asignatas, ad opinionem christiane benigniorem necessario requisitas, erunt christiane benigniores; aliter vero non. Vid. a num. 233.

253 Deinde etiam inveniri poterit christiane benignior *opinio aequa probabilis*, quae negat existentiam legis, proindeque solvat ab obligatione legis, ad quam opposita opinio aequa probabilis, affirmans existentiam legis, stricte obligat,

De benignitate in opinando
iuxta dicta supra tractat. de lege dubia quest. 5.
art. 3. num. 84. & iuxta dicenda tractat. 2. dis-
tinct. 2. sectione 1. à num. 392.

254 Veruntamen non semper opinio aequa
 probabilis, quae negat existentiam legis, ac proinde
 solvit ab eius obligatione, potest esse chris-
 tiane benignior; quia non semper potest habere
 omnes conditiones necessario requisitas ad opinio-
 nem christiane benignorem. Patet exemplo. An
 ad valorem sacramenti poenitentiae, necessario
 requiratur Dei dilectio, seu amor, saltem initialis,
 quin sufficiat sola atrito ex metu gehe-
 nae, &c., controvertitur inter DD. danturque
 oppositae opiniones, quarum altera affirmat da-
 ri legem obligantem ad ponendum dictum amo-
 rem initialem; altera vero negat, & solvit á tali
 obligatione. Vid. á n. 240.

255 Suponamus igitur (uti accidere potest)
 quod aliquibus, post exactum examen, utraque
 opinio videatur eque probabilis. Tunc opinio,
 quae negat existentiam talis legis, ac proinde
 solvit ab eius obligatione, non est christiane be-
 nignior, quia non habet omnes conditiones ne-
 cessario requisitas ad opinionem christiane benig-
 niorem.

256 Solvit enim contra legem fortiorum. Nam

opinio, quae affirmat existentiam legis, & ligat, seu obligat ad eius observantiam, versatur in materia, in qua teneri debet pars tutior, nempe, in materia Sacramenti poenitentiae, & circa eius valorem. Quare pro opinione ligante reflexe militat lex, & ratio certa; & consequenter opinio, quae solvit, solvit contra legem fortiorem, ideoque iniuste, & contra bonos inores, & sic non est christiane benignior, cum non habeat omnes conditiones ad hoc requisitas. *Vide supra dicta, & dicenda.*

257 Idemque similiter est dicendum de quacumque opinione aequa probabili negante existentiam legis, iuxta dicta à num. 84.: si enim illi deficiat aliqua conditio requisita ad opinionem christiane bedigniorem, non erit christiane benignior, si autem omnes illas habuerit, christiane benignior erit, propter dicta à num. 229.

DISTINCTIO SECUNDA.

Quaestio unica , & princeps:

*An opinio aequa probabilis , quae solvit,
sit liganti , seu obliganti praferenda?*

SECTIO PRIMA.

*Quaestio resolvitur , & Resolutio auto-
ritate , & ratione probatur.*

ARTICULUS I.

*Sensus quaestionis exponitur , & quaes-
tio resolvitur.*

Sensus quaestionis est: Occurrunt duae opiniones oppositae , quæ post prudentem , ac debitam discussionem iudicantur aequa probabiles. Altera ligat , seu obligat graviter , ad aliquid faciendum , seu exequendum , proindeque est incommoda , & dura , & sic aliquo modo

odiosa ; altera vero solvit , & liberat ab illa obligatione , & onere , proindeque est benignior ; non quidem *specialiter* , sed tantum *generaliter* , in sensu dicto à num. 223. Quaeritur igitur : An tunc opinio benignior , seu quae solvit , sit praferenda oppositae opinioni , quae ligat , seu obligat ; non solum á Judice in foro externo , sed etiam in foro interno , & conscientiae , á Confessario , vel alio Theologo resolvente hoc dubium , pro directione poenitentis , vel alterius interrogantis de obligatione gravi , & in conscientia .

259 Quod à Judice fori externi praferenda sit opinio , benignior , generaliter docent leges , plures que textus utriusque Juris postea allegandi . Quare praecipua difficultas est de Confessario , vel alio Theologo resolvente dubium in foro conscientiae pro directione alterius : an nempe tunc resolvere debeat secundum opinionem benignorem , quae solvit ab illa obligatione ; an vero secundum oppositam opinionem duram , ligantem , & obligantem graviter in conscientia : id est , an resolvere debeat , tunc non dari gravem obligationem ad illud faciendum , vel exequendum ; an vero resolvere debeat , dari obligationem gravem ad illud faciendum , seu exequendum .

260 Et hoc dum resolvit , non pro se ipso , sed pro poenitentis , vel alterius directione in conscientia . Qui enim pro se ipso resolveret , secundum opinionem ligantem , seu obligantem , cum haec

tutior sit , iusta est , proindeque iuste potest eligi ; & quamvis dura sit , cum voluntariae eligitur eius onus , & gravamen , nemini in hoc iniuria fit. Unde de in hoc sensu , qui pro se ipso resolvit , non tenetur resolvere , praferendo opinionem benigniorem , quae solvit ; & potest resolvere secundum opinionem ligantem.

261 Difficultas solum est de resolvente pro directione conscientiae alterius , obligando , vel solvendo ab obligatione. Siquidem non potest resolvere pro arbitrio suo , tollendo , vel impo nendo obligationem ; sed prout iustum fuerit , secundum leges , & rectam rationem. Sicut enim non solum est malum solvere ab obligatione restituendi , cum revera datur ; sed etiam obligare ad illam , dum revera non datur ; ita etiam non solum est malum solvere ab obligatione opinionis durae ; sed etiam obligare ad illam , dum non est vere obligatio.

RESOLUTIO PRINCEPS.

262 In concursu opinionum oppositarum , & aequaliter probabilium , quarum altera ligat , seu obligat ad aliquid faciendum , seu exequendum , ideoque est dura , & odiosa ; altera vero solvit ab illa obligatione , proindeque est benignior ; cui libet licitum est sibi eligere opinionem ligantem , seu obligantem , illamque aliis in praxi consulere. In

resolvendo autem hoc dubio de eius obligatione gravi, ex lege, vel praecepto, pro directione poenitentis, vel alterius, praferenda est à Confessario, vel ab alio resolvente, etiam in foro conscientiae, opinio, quae solvit; resolvendo, tunc non esse obligationem sequendi opinionem oppositam duram, ligantem, & obligantem; dummodo opinio, quae solvit, sit in foro conscientiae christiane benignior, seu habeat omnes conditiones requiescas ad opinionem christiane benigniorem. Resolutio est contra Theologos modernos Tutoristas, et Probabilioristas.

263 Veruntamen Resolutio videtur doctrina antiquorum Sapientum Utriusque Iuris, SS. Patrum, & Theologorum ante Probabilismi ortum; & satis clare dare videtur tradita praessertim à Beato Angelo à Clavasio infra à num. 339. à Silvestro à num. 343. à Fumo num. 348. à Navarro à num. 349. à S. Antonino à num. 323. à S. Bernardino à num. 331. à S. Joanne à Capistrano à num. 334. Resolutio procedit de opinione, quae solvit, & est aequa probabilis subiective iuxta dicta à num. 348. Dicitur in Resolutione dummodo opinio, quae solvit, sit in foro conscientiae christiane benignior, &c. quod intelligi debet de opinione generaliter benigniore, de qua est difficultas. Atque in foro conscientiae, quia inter utrumque forum, nempe, conscientiae, & iudiciale interdum datur discrimen, iuxta dicenda à num. 298. Unde non sufficit, ut opinio, quae solvit, sit christiane benignior, ac praferenda,

R

quod habeat omnes conditiones requisitas in foro
externo , ac iudicali ; sed etiam requiritur quod
illas habeat in foro interno , & conscientiae , ut
in hoc foro sit christiane benignior. His pree-
missis.

ARTICULUS II.

*Probatur Resolutio ex utroque Jure
universaliter disponente , opinionem ae-
que probabilem , & benignorem , pree-
ferendam esse oppositae opinioni. Unde
opinio aeque probabilis , quae solvit ,
quando est christiane benignior etiam
preeferenda est oppositae , in
sensu Resolutionis.*

264 **U**trumque Jus expresse docet , preeferen-
dam esse opinionem aeque probabilem *specialiter*
benignorem , seu favorabiliorem , quae est illa ,
quae est in favorem *matrimonii* , vel *dotis* , vel
testamenti , vel *libertatis* , uti dicitur in illis *Glossae* ,
versiculis :

*Stat testamentum , libertas , coniugium , dos ;
Si sint aequales , quae producuntur utrimque.*

265 Per ly *aequales* denotatur equalis probabilitas opinionum oppositarum. Idemque docet DD. de aliis opinionibus specialiter benignioribus, nempe de illis, quae sunt in favorem *instrumenti, sacramenti, vel Rei,* ac de aliis supra recensitis à num. 212. Deinde sunt plures leges, & textus Juris universaliter disponentes, in concursu opinionum aequaliter probabilium praferendam esse *humaniorem, suaviorem, seu benignorem,* uti patet ex sequentibus.

266 I. Ex L. pro haerede. 20. §. Si quid. ubi dicitur: *Sententia humanior est tenenda.*

267 II. Ex Cap. de transact. ubi dicitur: *Opinio benignior, & suavior praferri debet.*

268 III. Ex L. Benignius. ff. de legib. & L. semper. ff. de Regul. Jur. Regul. 55. *Semper in dubiis benigniora praferenda sunt.*

269 IV. Ex L. 3. de his, quae in testament. delent. *In re dubia benigho rem sententiam sequi non minus iustius est, quam tutius.*

270. V. Ex L. de communi Serv. manumis. *Quando verba legis possunt dupliciter intelligi, e- bend interpretari in humaniore partem.*

271 VI. Ex L. in his D. de condit. *Inter- pretatio aequior & benignior sumenda est.* Igitur, si universaliter loquendo, opinio aequa probabilis, & *humaniore, suavior, ac benignior praferenda est;* opinio aequa probabilis, quae solvit, & est christiane benignior praferenda est in sensu Resolutionis.

ARTICULUS III.*Prosequitur asumptum articulis
praecedentis.*

272 VII. Idem probatur ex L. Placuit. cap. de iudiciis. *Placuit in omnibus rebus praecipuam iustitiae, aequitatisque scriptae, quam stricti juris rationem.*

273 VIII. Ex Cap. de transact. *In his vero super quibus non inveniatur expressum, procedas (aequitate servata) semper in humaniorum partem declinando, secundum personas, & causus, loca, & tempora videris postulare.* Dum autem concurrunt opiniones aequae probabiles, quarum altera ligat, & altera solvit, in sensu praecedentis Resolutionis, non invenitur clarum, & expressum, quod praferri debeat opinio, quae ligat, seu obligat: igitur tunc resolvens dubium declinare debet in humaniorem partem, resolvendo secundum opinionem humaniorem, nempe, secundum eam, quae solvit ab obligatione.

274 IX. Ex L. Arrianus. ff. de actio. & oblig. *Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus, si habeamus occasionem ad negandum; ubi de liberando quaeritur, ex diverso faciliores simus ad liberationem.* In praesenti autem quaestione

quaeritur de obligando , & habetur occasio ad negandam obligationem , nam ista non probatur, cum aequa probabile sit non dari ; proindeque est occasio , & ratio ad negandum. Igitur resolvens hoc dubium propensior debet esse ad negandam obligationem opinionis ligantis , & facilior ad solventum , & liberandum ab illa , & consequanter resolvere debet non dari talem obligationem , dum pro directione alterius resolvit.

275 X. Ex Cap. Quaesitus de cognat. spirit. *Si vir, vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte suscepere, an propter hoc separari debeant.* Ubi Alexander III. circa hoc dubium duas Doctorum opiniones recenset , & postea sic respondet: *Consultationi tuae taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut separari debeant; quidam tamen HUMANIUS sentientes aliter statuerunt.* Et secundum istorum DD. opinionem decidit dubium ; dicens: *Ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex scientia id fecerint, non sunt ad invicem separandi; nec alter alteri debitum substrahere, nisi ad continentiam possint induci.*

276 Ubi videtur , Alexandrum III. propositum dubium resoluisse , praferendo opinionem benigniorem solventem oppositae liganti ; & non *ut minus probabilem.* Tum quia antiqui Doctores non sequebantur opiniones minus probabiles. Tum quia est contra praxim immemorialem Romanorum Pontificum , qui numquam decidunt secundum opiniones minus probabiles , uti dictum est

144 *De benignitate in opinando*

in *Luminar. Theolog. Moral.* tom. 2. dissertat. de Probabilismo ; et argumentum à solitis validum est. L. si quis donaturus. D. de usufruct.

277 Neque Alexander III. illam opinionem praetulit , tamquam sibi probabiliorem. Nam si ita fuisset , dixisset quidam probabilius , seu rationabilius sentientes ; sic enim in similibus mentem suam exprimere solent , qui opinionem unam prae alia eligunt , quia probabiliorem. Verum alter loquutus est Pontifex , dicendo quidam humanius sentientes ; humanius autem idem est ac benignius. Quare videtur , quod Pontifex illam opinionem elegit , quia sibi visa est , & aequa probabilis , & christiane benignior , quod quidem confirmat doctrinam Resolutionis.

278 Verum forte non deerunt , qui dicant , quod humanius idem est ac rationabilius , seu probabilius. Hoc autem dictum non videtur rationabilius , nec probabilius , quia est impropprium ; & quia humanius , & probabilius , seu rationabilius proprie idem non sunt , sed inter se differunt. Si enim idem essent , valeret : *est humanius : g. est probabilius.* Hoc autem non valet , nam datur humanius , quod non est probabilius , ut patet in opinione humaniore , & benigniore , simulque minus probabili , seu minus rationabili. Et datur probabilius , seu rationabilius , quod non est humanius , seu benignius , ut patet in opinione dura , & odiosa , simulque probabiliore.

279 *Humanus dicitur aliquis , qui habet circa hominem amorem , & miserationis affectum , inquit.*

S. Isidorus (lib. 10. Etymolog. cap. 8.) *Humanus idem est ac afabilis, comes, blandus, commodus, Urbanus*, inquit Calepinus. Et verbo *inhumane*, inquit: *inhumane adverbium inciviliter, duriter, & contra leges humanitatis*. Quemadmodum enim feris innata est crudelitas, & inhumanitas, sic humanitas hominibus. *Naturae est humanae, quae compassionem lege statuit, pietatemque & humanitatem ex acquali imbecillitate didicit*, inquit Nazianzenus Orat. 26. de pauper. cura.

280 Et Apostolus (ad Rom. c. 7.) ait: *Humanum dico propter infirmitatem carnis nostrae*. Hoc autem sic exponit S. Thom. (lect. 4.): *Adhuc dico vobis quodam humanum, id est, congruens imbecillitati humanae*. Sic enim quandoque homo accipitur in Scriptura, prout scilicet significat conditionem infirmitatis humanae. Sap. 9. *Homo infirmus & exigui temporis, & minorad intellectum legum*. Unde *humanius non estidem ac rationabilius, seu probabilius, sed idem ac benignius, & consequenter praedictus Pontifex dubium illud resolvit, praferendo opinionem aeque probabilem, ac humaniorem, seu benigniorem, quod confirmat doctrinam supradictae Resolutionis*.

ARTICULUS IV.

Probatur Resolutio aliquibus Regulis generalibus Juris.

281 **R**imo ex Regula 30. Jur. in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* Sumitur haec Regula ex L. Semper in obscuris 9. ff. R. J. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. Ubique in obscuris idem est ac in dubiis. Et sensus est de dubiis stricte, & proprie talibus, nempe, de illis, in quibus rationes ad dubitandum sunt pares, seu aequales; non vero de dubiis latis, & impropriis, in quibus fundamenta ad dubitandum inaequalia sunt. Huius ratio est, quia alias sequeretur contradictio inter hanc Regulam, & Regulam 45. in 6. *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est,* ut consideranti patebit. Cum enim maior verisimilitudo appareat, illud est sequendum. Quando vero non appareat maior verisimilitudo, sed utraque pars est aequa probabilis, tunc locum habere potest altera Regula, *in obscuris minimum est sequendum.*

282 In ea autem per minimum, ait Reinsfes-tuel (in eius explicatione) intelligitur, quod minus onerat, seu minus gravat. Unde ex hac Regula in concursu opinionum aequaliter probabilium,

quarum altera ligat, obligat, onerat, & gravat, praferenda est opposita, quae solvit, & liberat ab illo onere, & gravamine, in sensu supradicte Resolutionis.

283 Secundo probatur Resolutio ex Regula 15. Juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Dum autem concurrunt opiniones aequae probables, quarum altera ligat, seu obligat, ex lege, vel praecepto, & proinde est dura, & odiosa; altera vero solvit, & liberat ab obligatione, & onere, ideoque est benignior; opinio, quae ligat, seu obligat est restringenda; & quae solvit est amplianda, illam praeferendo liganti, quando opinio, quae solvit, est christiane benignior, in sensu Resolutionis.

284 Respond. forsitan, quod haec, & similes Regulae intelligi dumtaxat debent de dubiis facti, & ubi agitur de infligendis poenis. Quia in dubio de admisione criminis, vel de merito culpae, benignior pars est tutior. Siquidem illam sequens solum exponit se periculo non condemnandi infra meritum; quodquidem non est intrinsecse malum. Oppositum autem sequens exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendo Reum ultra meritum, quod est intrinsecse malum. Unde dicit Regula 152. ff. de Regul. Jur. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est, quam tutius.*

285 Sed contra I. Quia si praedicta Regula intelligi debet de dubiis facti, & circa infligendas poenas, propter rationem adductam; propter si-

S



milem rationem debet etiam intelligi de dubiis circa admittendas , vel imponendas obligaciones graves sub peccato , & poena eterna. Nam licet hoc non sit propriae , & stricte poena , est tamen obligatio , & onus grave ; & sic , quamvis impropriae , est quedam poena , saltem aequivalenter. Non enim minus incommodum , ac molestum est ieonium ex poena observatum , quam ex obligatione legis , vel paecepti sub gravi.

286 Ut enim advertunt Soto , & Sanchez , poena interdum strictae , & proprie accipitur , quatenus correlativa peccati , vel culpae proprie dictae , cui secundum proportionem poena respondere debet , iuxta illud Deuteron. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Interdum vero accipitur pro quocunque incommodo , aut onere quod alicui imponitur , quamvis nulla eius praecedente culpa , sicut notavit Glossa in cap. de constit.

287 Deinde substractio beneficii quaedam poena est : igitur potiore ratione quaedam poena erit impositio alicuius gravis obligationis sub peccato ad aliquid faciendum , seu exequendum. Quod substractio beneficii quaedam poena sit , traditur à Div. Thoma (2. 2. quaest. 159. art. 1. ad 3.) his verbis: *Dicendum , quod crudelitas ibi accipitur pro immisericordia , ad quam pertinet beneficia non largiri. Quamvis etiam dici possit , quod ipsa beneficii substractio quaedam poena est.*

288 Obligatio igitur ad aliquid faciendum , seu exequendum sub mortali , & poena aeterna ,

quaedam poena est, & res odiosa, ac proinde quodam modo comprehensa in illa Regula, *Odia restringi, & favores convenit ampliari;* & consequenter est restringenda opinio, quae obligat, & amplianda opinio aequa probabilitate, quae solvit, in illo stricto dubio; ita ut in illo praferenda sit opinio, quae solvit, tamquam christiane benignior. Et confirmatur, quia in hac concurrit similis ratio ac in inflictione poenarum stricte & proprie talium. Ratio est, quia qui praeferet opinionem obligantem sub mortali in dicto stricto dubio, exponit se periculo obligandi ad onus grave, quin revera sit obligatio, quodquidem est nimia iustitia. Qui vero praeferet opinionem, quae solvit, exponit se periculo solvendi à vera obligatione gravi, quod est nimia misericordia: at si erramus parva imponentes, melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem, inquit Chrysostomus in Catena.

289 Contra II. Quia contra poenas propriæ, & stricte tales datur in Jure specialis Regula, nempe, 49. in 6. *In poenis benignior est interpretatio facienda.* Altera vero Regula, *Odia restringi, & favores convenit ampliari,* quamvis comprehendat poenas stricte, & proprie tales, amplius extendit se, & comprehendit alia, quae non sunt poenae stricte & proprie, nempe, comprehendit etiam ea, quae sunt odiosa, quia sunt dura, incommoda, & molesta, iuxta dicta ànum. 220.

290 Cum enim certum sit, dari odiosa, si
S2

cut & favorabilia, & benigna, & haec Regula generaliter loquatur, de odiosis, comprehendere debet, non solum poenas, sed etiam poenalia, dura, & odiosa. Nam lex generaliter loquens generaliter est intelligenda. Cap. solit. §. fin. de maioritat. & obedien. Et generalis dispositio omnes species sub se contentas comprehendit. L. si chorus. ff. de leg. 3.

191 Id ipsum confirm. I. Ex nostro Beato Angelo à Clavasio qui allegat hanc Regulam, *Odia res trinci, &c., non solum ad praeferendam opinionem benignorem, ubi agitur de infligendis poenis, sed etiam in odiosis, & ubi agitur de one rando, & obligando ad aliquid faciendum, seu exequendum sub peccato.*

292 In sua enim *Summa Angelica* veb. *Opi nio*, ait: „Aut una opinio nititur rigori scrip to, & alia aequitati scriptae, & sic ista prae ponitur. cap. unic. de re. permut. lib. 6. & L. Placuit. c. de iudic. & per Cy. in L. 1. cap. de legi. & ibi plene. Bar.....In aliis autem opinio benignior debet observari. L. Benignius. ff. de leg....Et benignior dicitur illa, quae favet iuramento, testamento, libertati, matrimonio, religioni, & sacramento. facit. c. 2. de cog. spi. L. sunt personae. in. si. ff. de reli. fune. Similiter illa, quae solvit, quam quae ligat. Regula Odia. lib. 6. Arrianus. ff. de act. & oblig.“

293 Et ibid. verb. *Confessarius IV.* ait B. Angelus: *Adverte tamen, quod si dubium versetur*

CIRCA ALIQUID FACIENDUM , vel POENAM SUBEUNDAM , tunc benignior opinio est eligenda. ff. de eo. quod. cer. L. quod si Ephesi. in fin. &c.

294 Similiter loquitur Silvester in sua Summa veb. *Opinio* num. 2. & allegat regulam *Odia* &c. Et verbo *Confessio* III. inquit: *Si vero non sit dubium principaliter, super peccato, sed utrum quis teneatur ad aliquid FACIENDUM, vel DANDUM, vel POENAM SUBEUNDAM SEMPER ELIGATUR OPINIO BENIGNIOR, &c.*
Vid. á num. 346.

295 Confirm. denique ex Subtili Doctore in 4. Sentent. dist. 17. quaest. unic. ubi loquendo „ de pracepto annuae confessionis , ait: „ Quo „ ad quando , Ecclesia determinavit praceptum , „ scilicet semel in anno : et illud semel videtur „ ad minus esse circa Pascha , quo tempore se- „ cundum illud capitulum debet quilibet christia- „ nus communicare , nisi in casu. Et si dicas , „ quod haec specificatio est laxatio , quia prius „ tenebantur statim confiteri , habita opportuni- „ tate Confessoris , nunc autem non tenentur us- „ que ad Quadragesimam. Respondeo , utrumque „ est dubium aliquibus , quibusdam dicentibus , „ quod & tunc , & nunc tenentur statim , habi- „ ta opportunitate Confessoris , confiteri ; quibus- „ dam dicentibus , quod nec tunc , sed tantum „ in voto confiteri pro aliquo tempore ante mor- „ tem ; nec nunc , sed pro voto confiteri semel „ in anno. Secundum videtur MITIUS , quia prae-

152 *De benignitate in opinando*
„cepta poenalia non sunt amplianda , sed res-
tringenda.“

296 In istis postremis verbis satis indicat Subtili- Doctor praedictam Regulam , *Odia restringi*, *favores convenit ampliari*. Et non loquitur Scotus de inflictione poenarum , sed de obligatione praecepti annuae confessionis , in casibus dubiae obligationis , ob opinionum aequaliter probabilium contrarietatem. Unde de mente Scotti predicta Regula non est restringenda , ad solas poenas , sed extendenda est etiam ad obligationes duras , & poenales , in quibus innuit Scotus , propendere debere resolventem in opinionem *mitiorem* , seu *benignorem* , negantem obligationem , in sensu supra stabilitae Resolutionis.

ARTICULUS V.

*Probatur adducta Jura , leges , & Re-
gulas debere intelligi non solum in fo-
ro externo , sed etiam in foro
conscientiae.*

Forte non deerunt , qui respondeant , quod praedicta Jura , leges , & Regulæ debent intelligi in foro externo , ac iudiciali ; non vero in foro interno , ac conscientiae. Sed contra I. quia allegata Jura generaliter loquuntur : igitur genera-

liter sunt intelligenda de praferenda opinione benigniore in utroque foro; & sic non solum in externo & judiciali, sed etiam in foro interno, & conscientiae; si in hoc foro fuerint christiane benignior. Nam verba generalia generaliter sunt intelligenda. L. Quod autem. Et verba generalia referuntur ad omnes, & ad omne tempus. L. si ita fuerit. 9. ff. de legat. 3.

298 Contra II. quia inter forum externum, etiam Canonicum, & forum internum, seu conscientiae, quamvis aliquando detur differentia, non semper datur. Forum enim externus aliquando fundatur in praesumptione, & non super certo, & vero. Forum autem internum, seu conscientiae non fundat se in praesumptione, sed super certo, & vero.

299 Quando forum externus fundat se in praesumptione, & non super certo, & vero, sicut forum internum, tunc quidem datur differentia, ac discrimin inter forum internum, & externum; & non valet argumentum de uno ad alterum forum. Quando vero forum externus non fundat se in praesumptione, sed super certo, & vero, sicut forum internum, tunc est Regula in Jure communiter recepta, quod valet argumentum de *foro externo ad internum*; & è contra. Et pro hac Regula allegat plures DD. Joannes Valero Carthusianus in suo libro de *differentiis inter utrumque Jus*, in fine Praeludii.

300 Igitur quando non detur differentia inter forum utrumque, & opinio, quae solvit sit

christiane benignior, etiam in foro conscientiae; in hoo foro erit etiam praferenda propter allegata Jura, leges, & regulas, sicut praferenda est in foro externo, & iudicali. Si enim misericordia Dei in opinando extenditur ad forum externum, cur non ad internum? Quid est in foro externo, ut ad illud extendatur misericordia Dei in opinando, quod non inveniatur etiam in foro interno? Igitur ad forum internum etiam extendit se, in sensu Resolutionis. Vid. à n. 338.

301 Forte respondeb. non tenere paritatem, nam Judex fori externi debet iudicare; & in dubio stricto, quod tunc datur ob concursum opinionum oppositarum, & aequaliter probabilium, potius declinare debet in partem humaniorem, seu benigniorem; nam hoc minus malum est; siquidem melius est reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate. Hoc autem non accedit in foro interno, & conscientiae.

302 Sed contra: nam saltem Judices inferiores fori externi non tenentur iudicare, cum possint excusare se, & iudicium remittere ad Superiorum. &c. Contra 2. nam Confessarius est verus Judex in Sacramento Poenitentiae, ut docet Concilium Tridentinum: g. Saltem Confessarius posset in foro poenitentiali, & conscientiae iudicare sicut Judex in foro externo, praferendo opinionem, quae solvit, quando est christiane benignior in sensu resolutionis.

303 Contra 3. quia quando opinio, quae solvit, est christiane benignior in foro conscientiae.

tiae, est innocens, & iusta: g. qui resolvit dubium illud in foro conscientiae licite potest illud resolvere secundum opinionem benignorem, immo debet, dum resolvit pro directime alterius, ne illi imponat gravem obligationem, & grave onus, ad quod nec ex lege, nec ex pracepto tunc tenetur. Vid. supr. dict.

304 Contra 4. quia plures leges, & textus utriusque iuris extenduntur ad forum conscientiae, quoad obligandum: igitur etiam debent extendi ad forum conscientiae, quoad solvendum aliae leges, & alii utriusque Juris textus, quando locum habet christiana benignitas, & tunc datur opinio christiane benignior.

305 Confirmatur: nam saepe DD. Theologiae Moralis adducunt textus Juris ad solvendum ab obligationibus in foro conscientiae. S. Antoninus loquendo de casu in quo Confessorius stricte dubitat, ita ut discernere non possit, an ornatus mulieris confitentis sit nimius, & mortale peccatum, propendit in id, nempe, quod illi mulieri non denegetur absolutio, nec dicatur, quod illud est peccatum mortale, & aducit rationem, quia *iura sunt promptiora ad absolucionem, quam ad condemnandum*: g. benignitas transcende potest ad forum conscientiae.

306 S. Antonini verba (in sua Summa part. 3. tit. 4. c. 6. §. 8.) sunt ista: *Si vero (Confessorius) non potest clare percipere, utrum sit mortale, vel veniale, seu ex intentione ipsius, quam vescit intelligere, vel illam exprimere, seu ex qua-*

T

litate , & quantitate ipsius ornatus , non videtur tunc praecipitanda sententia , ut dicit Guillelmus Speculator in quodam simili , ut scilicet deneget propter hoc absolutionem , vel illi faciat conscientiam de mortali ; quia faciendo postea contra ilud , etiam si illud in se non esset mortale , ei erit mortale , quia omne quod fit contra conscientiam aedificat ad gehenam 28. quest. 1. §. ex his . Et cum promptiora sint IURA ad solvendum quam ligendum dist. 50. Ponderet , &c. &c. Vide à num. 421.

ARTICULUS IV.

Probatur Resolutio , specialiter quoad forum conscientiae , auctoritate SS. Ambrosii , Gregorii Nazianzeni , Ciri- lli , Leonis , & Isidori.

307 S. Ambrosius (tom. 1. Oficior. lib. 2. pag. 46.) ait: *Summa igitur benignitate opus est, ut non solum publica guvernacula (hoc indicare videtur forum externum); sed etiam privata iura (in hoc intelligi possunt , quae spectant ad forum internum) tueantur. Quamvis enim privata iura etiam ad forum externum deducantur; nonnulla tamen privata iura examinantur in fo- rum conscientiae , in dubiis , quae circa ipsa sus- citantur. Si igitur ut iura iuste tueantur , etiam*

in foro conscientiae, summa benignitate iusta, & christiana opus est, necesse est, ut in foro conscientiae in dubio stricto preeponatur opinio benignior in sensu Resolutionis. Nam ubi inveniuntur summa benignitas christiana in opinando, & resolvendo dubia nisi in opinione benigniore in sensu Resolutionis?

308 *S. Gregorius Nazianzenus* (orat. 39.) ad quemdam Novatianum ait: *In iuuenibus viduis propter aetatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis?* At Paulus hoc facere minime dubitabit, cuius te Magistrum profiteris. At baec minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut res ita se habere, proba; aut si id nequis, ne comdemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas, & facilitas. Sed in concursu opinionum, quarum altera ligat, obligat, & onerat graviter; & altera solvit, & liberat, & ambeae sunt aeque probabiles, obligatio non probatur, & est stricte dubia: igitur, si quae solvit fuerit christiane benignior in sensu Resolutionis, tunc debet vincere humanitas, & benignitas christiana, tamquam lex tunc fortior; & preeferenda est opinio benignior, seu quae solvit, etiam in foro conscientiae. Vide infra num. 404.

309. *S. Cirillus* (in Apolog. Moral. lib. 1. c. 22.) hanc Regulam generalem tradit: *Magis semper partem misericordiae teneas.* Ubi S. Cirillus proculdubio non loquitur de misericordia, aut benignitate carnali, & iniusta; sed de christiana, & iusta. In concursu autem opinionum oppo-

sitarum , & acqualiter probilium , quarum altera ligat , seu obligat ; & altera solvit , & est christiane benignior concurrunt iustitia , & misericordia . Pro opinione ligante militat iustitia ; pro opinione , quae solvit , militat misericordia . Igitur si iuxta S. Cirillum in dubio stricto inter partem iustitiae , & partem misericordiae *semper* tenenda est pars misericordiae , in praedicto cursu opinionum , quarum altera ligat , & altera solvit , in sensu praedictae Resolutionis , *semper* preferenda , ac tenenda est opinio , quae solvil , & est christiane benignior , & sic etiam in foro interno , & conscientiae .

310 S. Leo Papa Resolutioni supra stabilitae etiam favere videtur (in Epistol . 12 . tom . 1 . Oper . edit . Ballerin . col . 674 . ad Episcop . Mauritaniae .) Sic enim scribit : „ Cum ergo inter vos tantum valuerint aut studium popularium , aut ambitus superborum , ut non solum laicos , sed etiam secundarum nuptiarum viros , aut viduarum maritos ad officium agnoscamus Pastorale proiectos : nonne apertissimae exigunt causae , ut Ecclesiae , in quibus ista commissa sunt , iudicio superiore purgemos , & non solum in tales Praesules , sed etiam in Ordinatores eorum digna distinctione moveamur ? Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiae , hinc censura iustitiae ; & quia universae viae Dominica misericordia , & veritas , cogimur secundum Sedis Apostolicae pietatem , ita nostram temporare sententiam , ut tutrinato pondere deliq-

» torum , qua constat , non unius esse mensu-
» rae , quaedam definiamus , utcumque tolleranda;
» quaedam vero penitus amputanda. Eos enim,
» qui vel secundas nuptias inierunt , vel vidua-
» rum se coniugio sociarunt , in Sacerdotio per-
» manere non patimur.....Coeterorum vero quo-
» rum proiectio hoc tantum reprehensionis incur-
» rit , quod ex laicis ad officium Episcopale de-
» lecti sunt , neque ex hoc , quod uxores habeant,
» possunt esse culpabiles , susceptum matrimo-
» nium tenere permittimus.“

311 *S. Isidorus* (lib. 2. Sinonim.) inquit:
Tene ergo rigorem in discussione iustitiae ; miseri-
cordiam in definitione sententiae. Sed in dubiis,
in quibus facta diligenti discussione , inveniuntur
opiniones aequae probabiles , quarum altera ligat,
& altera solvit , in sensu Resolutionis , si defi-
nitio , seu resolutio fiat secundum opinionem li-
gantem , non tenetur misericordia : g. ut tenea-
tur debet fieri secundum opinionem , quae solvit.

ARTICULUS VII.

Probatur resolutio auctoritate SS. Rai-
mundi , Antoni Patavini , Thomae,
ac Bonaventurae.

312 *S. Raimundus de Peñafort* (in sua Summa)

lib. 1. tit. 10. de mendacio §. 3.) refert duas opiniones circa mendacium oficiosum: una quae dicitur, esse tantum peccatum veniale; altera vero, semper esse mortale in homine perfecto. Et postea subdit: *Prima opinio humanior est, & mibi magis placet.* Ex his colligitur, quod illa prima opinio non erat probabilior S. Raimundo, nam tunc dixisset, quod illi magis placebat, quia probabilior. Nec illi visa fuit minus probabilis, quia sic illi non placuisset, nam tunc nondum natus fuerat Probabilismus, & S. Raimundus non sequebatur opiniones minus probabiles, ut ostendi in *Luminar. Theolog. Moral.* tom. 2. Unde illa opinio prima ipsi visa fuit aequa probabilis, & christiane benignior, & ex hoc ipsi magis placebat.

313 *S. Antonius Paduanus* (in serm. sabath. hebdomad. 3. quadrages.) inquit: *Sententianda (acusatio) est cum benignitate, & pietate, ut homo in iudicando sit inclinatus ad misericordiam, & non erectus ad iustitiam.* Igitur etiam in resolvendo dubia circa obligationes, & onera conscientiae in sensu resolutionis debet resolvens inclinare ad misericordiam.

314 *S. Thomas* (1. 2. quaest. 90.) ait: *Par non esse, ut severe leges interpretentur, cum tam grandi molestia subditorum: eo quod nulli debeamus laqueum iniicere.* Quando autem circa obligationem legis, vel praecepti sunt opiniones aequa probabiles, quarum altera ligat, & altera solvit, in sensu resolutionis, si resolvitur dubium

secundum opinionem obligantem, lex, vel praeceptum severe interpretatur. Si igitur hoc par non est, secundum Div. Thomam, dubium tunc debet resolvi secundum opinionem benignorem, quae solvit, eam praferendo liganti.

315 S. Bonaventura (de sex alis Seraphin cap. 7.) instruendo Praelatum, inquit: *Cum ergo non possit semper teneri, quod omnibus placet, minus tamen deviat, si ad benicitatis partem plus declinet. Similiter igitur in concursu opinionum oppositarum, & aequaliter probabilium debet resolvens procedere, praferendo partem, seu opinionem benignorem.*

ARTICULUS VIII.

*Probatur Resolutio ex Subtili Doctore,
ex Nicolao de Lyra, ex Durando, atque
ex Prologo antiquarum Constitutio-
num Ordinis S. P. N. Dominici.*

316 *S*ubtilis Doctor (in 4. sent. dist. 17. quaest. unic.) loquendo de praecepto annuae confessio-
nis, ait: „Quoad quando, Ecclesia determina-
vit praeceptum, scilicet, semel in anno: et
illud semel videtur ad minus esse circa Pascha,
quo tempore secundum illud capitulum debet

„ quilibet christianus communicare nisi in casu.
 „ Et si dicas, quod haec specificatio est *laxatio*,
 „ quia prius tenebantur statim confiteri, habita
 „ opportunitate Confessoris; nunc autem non
 „ tenentur usque ad quadragesimam. Respondeo,
 „ utrumque est dubium aliquibus; quibusdam dicen-
 „ tibus, quod & tunc, & nunc tenentur statim
 „ habita opportunitate Confessoris, confiteri; qui-
 „ busdam dicentibus, quod nec tunc, sed tan-
 „ tum in voto confiteri pro aliquo tempore an-
 „ te annum; nec nunc, sed pro voto confiteri se-
 „ mel in anno. Secundum videtur *mitius*, quia
 „ praecepta poenalia non sunt amplianda, sed
 „ restringenda.“

317 Cum autem Scotus non dicat secundum
videtur probabilius, quodquidem dirisset, si ei proba-
 bilius visum fuisset, & solum dicat secundum vi-
 detur *mitius*, seu *benignius*, colligitur, quod *Scotus*
 in hoc secundum propendit, quia *mitius*, seu
benignius, & quia aequa probabile. Si enim esset
 minus probabile, non propenderet *Scotus* in illud,
 nam *Scotus* clarissime reprobat usum opinionis
 minus probabilis, ut videri potest in *Luminar.*
Theolog. Moral. tom. 2. dissert. de Probabilimo.
 Unde videtur loqui in sensu Resolutionis.

318 Nicolaus de Lyra sup. illud Jacobi 3. c.
Superxaltat autem misericordia iudicium, inquit:
In casibus dubiis inter iustitiam, & misericordiam,
SEMPER DECLINANDUM EST AD PAR-
TEM MISERICORDIAE. Hoc autem rationa-
 biliter non potest intelligi, quando pars misericor-

ricordiae, seu opinio benignior, est minus probabilis. Igitur est intelligendum quando est aeque probabilis, & in sensu Resolutionis. Lyra enim ante ortum Probabilismi scripsit.

319 Durandus de Sancto Porciano in 4. distinct. 15. q. 11. ait: *Uirum comedens tempore ieiunii plusquam semel, qualibet vice peccet mortaliter?* Et propositis sententiae affirmativae momentis, postea dicit: *Istud autem etsi sit probabiliter dictum, videtur tamen multum durum: & ideo potest aliter dici, & MITIUS, quod talis non peccat mortaliter in qualibet comeditione.*

320. Durandus autem non fuit Probabilista, ut satis patet ex suis Scriptis. Quare si illa opinio mitior illi visa fuisset minus probabilis, illam non approbaret; teneret oppositam probabiliorem, quamvis esset multum dura. Nam quae probabiliora sunt, teneri debent, licet dura sint, dicente Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* (Ps. 16. 4.) Visa igitur fuit Durando opinio mitior, aeque probabilis, in sensu Resolutionis, & christiane benignior, & consequenter, &c.

321 Deinde probatur Resolutio ex Venerando Prologo antiquarum Constitutionum Cl. Ordinis S. P. N. Dominici, in quo inter alia declaratur, tria potissimum esse, quae animarum salutem impediunt, quorum Tertium est nimia austeritas in consiliis, & opinionibus; terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant: *qua propter & RELAXANDA EST (QUANTUM*

FIERI POTEST) RIGIDATAS, ET AUSTERITAS IN CONSILIIS, ac homines benigne tractandi sunt.

322 Hoc autem non est ita intelligendum, ut rigiditas opinandi relaxetur extra iustos, ac debitos limites; sed sensus est, quod relaxetur *quantum fieri potest iustae, & licite*, seu absque peccato. Extra iustos, ac debitos terminos relaxatur, quando extenditur ad opiniones minus tutas, & minus probabiles; vel ad omnes opiniones aequae probabiles, & minus tutas, etiam non habentes omnes conditiones opinionis christiane benignioris. Quando autem solum extenditur ad opiniones aequae probabiles habentes omnes istas conditiones, extenditur *quantum fieri potest iuste, & licite*, iuxta supradicta, à num. 232. & alibi.

ARTICULUS IX.

Probatur Resolutio auctoritate S. Antonini, & aliorum, quos ipse allegat.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus (in sua Sum. part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 9.) ait: „Hostiensis etiam dicit (extr. de cognat. spirit. sup. si vir.), ubi sunt diversae *opiniones*, & diversa *iudicia* semper *humanior praferenda est*, & *aequior*.“ Et ibidem etiam inquit: „Secun-

, dum Joannem de Tambaco sextuplex doctrina
, per virtutem epikeiae scrupulosae conscientiae
, dari potest. Quarum prima est, interduram, &
, benignam circa praecepta sententiam, quod be-
, nigna est potius, coeteris paribus, interpretatio
, facienda; quod etiam asserit Guillelmus. Hu-
, ius ratio est, quia praecepta Dei, & Ecclesiae
, non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulce-
, dinem, qualis certe tollitur, quando nimis scru-
, pulose & timide praecepta interpretantur.

324 Haec dicunt isti DD. in concursu opinio-
num oppositarum, & aequo probabilitum, ut in-
dicant illa verba coeteris paribus. Igitur si tunc
opinio humanior est praefenda, & interpretatio
benignior est facienda, quando concurrunt opini-
ones aequo probabiles, quarum una ligat, &
altera solvit, si haec, in sensu Resolutionis, est
christiane benignior, secundum istam debet inter-
pretatio fieri, & ista est praefenda.

325 Respond. I. hanc doctrinam S. Antonini
tradi tantum pro scrupulosis. Sed contra: nam
quamvis ea doctrina tradatur pro scrupulosis, quia
isti magis quam alii indigent doctrinis, & opini-
onibus benignis, non tamen traditur pro scrupu-
losis tantum; nam traditur generaliter pro omni-
bus, ut patet legendu DD. qui illam tradunt.
Deinde illa doctrina si iusta, & sana non esset,
non posset applicari scrupulosis. Non igitur pro is-
tis dumtaxat traditur.

326 Respond. II. S. Antoninum ibi non lo-
qui de opinione, sed de interpretatione benign-

niore, ut notavit Pater Corduba lib. 3. de conscient. quaest. 13. ubi referens praedictam doctrinam S. Antonini, ait: *Et nota, quod non dicitur bic, quod opinio, sed quod interpretatio benignior accipienda; securior autem opinio tenenda est, ut supra dictum est in tertio modo praecedente.* Vide dicenda à num. 421.

327 Sed contra I. nam licet ibi non dicatur, quod opinio, sed quod interpretatio benignior sit accipienda, alibi tamen docet S. Antoninus, quod opinio benignior sit praferenda. In Summa part. 3. titul. 5. de vitiis studentium, inquit: *Addit Hostiensis, quod cum sunt diversa iura & opiniones; sed non contra Deum, vel monos mores, humanior sententia est praferenda, coeteris paribus.* Igitur S. Antoninus illam doctrinam non tradit solum de interpretatione benigniore, sed etiam de opinione benigniore; non quidem de omni; non de illa, quae est contra bonos mores, seu contra aliquam legem sed de illa, quae non est contra bonos mores, seu habet omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benigniorem, proindeque in sensu Resolutionis supra propositae.

328 Confirmatur ex eo, quod S. Antoninus in Sum. part. 3. tit. 4. c. 6. §. 8. docet, loquendo de superfluo mulierum ornatu, in casu in quo Confessarius discernere nullatenus possit, an ornatus superfluitas sit culpa mortalis, vel venialis. Sic enim ait.

329 „Si vero (*Confessarius*) non potest clare percipere, utrum sit mortale, vel veniale,

„ seu ex intentione ipsius (*mulieris*) quam nes-
 „ cit intelligere, vel illam exprimere, seu ex qua-
 „ litate, & quantitate ipsius ornatus (*boc autem*
 „ *solum accedit quando utrimque sunt momenta ae-*
 „ *qualiter probabilia, & datur perfecta obscuritas,*
 „ *strictumque dubium*) non videtur tunc praecipi-
 „ *tanda sententia, ut dicit Guillelmus speculator*
 „ *in quodam simili, ut scilicet denegat propter*
 „ *hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam*
 „ *de mortali, quia faciendo postea contra illud,*
 „ *etiam si illud in se non esset mortale; ei erit*
 „ *mortale, quia omne quod fit contra conscientiam*
 „ *aedificat ad gehenam.* 28. quaest. 1. §. ex his.
 „ Et cum promptiora sint iura ad soluendum quam ad
 „ ligandum dist. 50. Ponderet. Et melius sit Do-
 „ mino reddere rationem de nimia misericordia,
 „ quam de nimia severitate, ut dicit Chrisosto-
 „ mus 26. q. 7. Alligant; potius videtur absol-
 „ vendum, & divino examini dimittendum. Fateor
 „ tamen, quod & Praedicatores in praedicando,
 „ & Confessores in audience confessionum debent
 „ talia detestari, & reprehendere, & persuadere
 „ ad dimittendum, cum sit nimia & excesiva,
 „ ut communiter accedit; non tamen ista indistinc-
 „ te asserant esse mortalia.“

330 Contra II. Quia ut communiter tradunt
 DD. quatuor sunt interpretationis species, ex par-
 te causae efficientis, nempe, *Principis, Consue-
 tudinis, Judicis, & Magistrorum.* Et interpreta-
 tio alia est necessaria, seu authentica; & alia
 non necessaria, seu doctrinalia, & solum proba-

bilis. Haec autem est, quae à Magistris, & Doctoribus praestari solet; cumque DD. non semper convenient, ipsae interpretationes tunc sunt opiniones, vel aliae aliis probabiliiores, vel aequae probabiles. Igitur quando interpretatio aequae probabilis, & benignior est praferenda, etiam tunc opinio aequae probabilis, & benignior in sensu Resolutionis est praferenda; alias neque praferenda esset tunc interpretatio benignior. Vide supra à num. 292, & infra 440.

ARTICULUS X.

Probatur Resolutio auctoritate SS. Bernardini Senensis, Joannis à Capistrano, & Angeli à Clavasio.

331 **S.** *Bernardinus Senensis* (serm. 3. fer. 2., post Domin. quinquag. art. 3. cap. 1.) ait: „Ter-
tio quoque sunt aliae Scripturae ab Ecclesia du-
bitatae, vel non approbatae, videlicet aliquae
opiniones diversorum Doctorum etiam approba-
torum inter se contradicentium in quibusdam,
quae non sunt necessaria ad salutem; sicut de
Salomone, quem Augustinus opinatur esse dam-
natum; & Ambrosius salvatum; & sic demul-
tis aliis, & similibus, de quibus Ecclesia per-

mittit, varie sentiendum, tam de antiquis, quam
de Doctoribus novis. Secundum Scotum, &
Hostensem, quando sunt diversa Jura, & opi-
niones, quae tamen non sunt contra Deum, &
bonos mores, COETERIS PARIBUS, humanior
preferenda est. extr. de transact. cap. fin. Alias
standum est illi, quae meliori rationi innititur.
extr. de fer. cap. Capellanus.

332 Respond. fortasse, quod S. Bernardinus
loquitur de opinionibus pure speculativis, in quibus,
sive una, sive altera teneatur, non est
peccatum, nec peccati periculum, uti sunt opi-
niones de ~~salvatione~~, vel condemnatione Salo-
monis, & aliae huiusmodi. Non vero loquitur
S. Bernardinus de opinionibus practicis circa leges,
& praecepta, in quibus potest esse peccatum.

333 Sed contra, quia S. Bernardinus non tan-
tum loquitur de opinionibus pure speculativis,
sed etiam de practicis circa leges, & praecepta,
in quibus potest esse transgressio, & peccatum.
Ratio est, quia S. Bernardinus allegat Hostien-
sem, & Scotum, quiquidem in suis dictis, ac
sententiis loquuntur de opinionibus practicis circa
leges, & praecepta, sicut alii Doctores. S. An-
toninus aductus n. 327. S. Joannes à Capistrano
n. 335. Si enim loquerentur tantum de opinioni-
bus pure speculativis, illud affirmarent, sive opi-
niones esse aequae probables, sive non essent. Et
tamen non sic affirman; sed solum de eque pro-
babilibus, uti clare indicant illa verba coeteris pa-
ribus. Loquuntur igitur de opinionibus practicis,

170 **D**e benignitate in opinando

aeque probabilibus, & christiane benignioribus, in sensu supradicto à num. 233.

334 S. Joannes á Capistrano (S. Bernardini Discipulus) in suo *Speculo conscientiae* docet, in concursu opinionum oppositarum, si probabilior appareat, hanc esse eligendam. Si autem utraque sit aeque probabilis, & una sit christiane benignior, hanc esse tenendam. Ita docet sequentibus verbis.

335 Alias autem illa opinio tenenda est, coeteris paribus, quae benignior est, ut in L. Benignius. ff. de legibus. Item ibi dicit: In casibus dubiis primo ad interpretationem consuetudinis recuratur.... Secundo ad verborum propriam significacionem..... Tertio ad partem benignorem. Et alibi in eodem *Speculo conscientiae*, ait: Ex praedictis igitur concludendum videtur, quod quando sunt diversa iura, & opiniones, non contra divinam legem, neque contra Jus naturale, & bonos mores, humanior sententia est praeferenda coeteris paribus (id est, dummodo oppositae opiniones sint aeque probabiles) extr. de transact. cap. fin.; alias standum est illi opinioni, quae melioribus rationibus adiuvatur, ut in cap. Capellanus. extr. de fer.

336 Deinde in eodem *Speculo conscientiae* docet, quod, quando tanta, & talis est opinionum varietas, & contradictio, ut discerni non possit, quaenam sit communior, vel probabilior, quia facta diligent discussione non reperitur inter eas notabilis excessus, & videntur aeque probabiles;

tunc tutius est praeferre mitiorem, seu benignorem.

337 Haec sunt Capistrani verba: *Cum tanta est opinionum varietas, ut non possit facile discerni, quae sit verior, vel communior, nec super hoc reperiatur alias iudicatum*, TUTIUS est tenere, quod in mitiorem partem declinat, ut in cap. in obscuris & in cap. in poenis de reg. Juris lib. 6.

338 Respond. forte quod S. Joannes à Capistrano ibi loquitur circa iudicialia, & quae pertinent ad forum externum; non vero de pertinentibus ad fidem, & bonos mores ut ipse sibi obiicit. Sed contra: nam Capistranus respondet, & sua responsione hanc responsonem refutat. Ait enim: *Et si quis diceret, quod nos quaerebamus de causis iudiciariis circa temporalia; non autem de pertinentibus ad fidem, & mores: dico, quod ubi non patent iura clara, opportet de similibus ad similia iudicare extr. de rescrip. cap. inter coeteras.* Quando enim nulla ratio discriminis invenitur inter utrumque forum, valet argumentum de uno in alterum forum. Cum autem opinio, quae solvit, est christiane benignior, in sensu Resolutionis, in foro conscientiae, nullum est discrimen, ut praeponatur liganti in foro conscientiae, sicut in foro externo praefertur opinio benignior. Vid. dict. à num. 297.

339 B. Angelus à Clavasio (qui novissime ex concessione Sedis Apostolicae in toto nostro Ordine Minorum iam cultu publico, & officio ecclesiastico honoratur) in sua *Summa Angelica*,

verb. *Opinio*, similiter docet, opinionem probabiliorem esse eligendam; quando autem non appeter opinio probabilior, sed omnes videntur aequae probabiles, tunc sequentem doctrinam tradit.

340 „ Aut una opinio (*inquit*) nititur rigori „ scripto, & alia aequitati scriptae, & sic ista „ praeponitur. cap. unic. de re. permut. lib. 6. „ & L. Placuit. c. de iudic. & per Cy. in L. 1. „ cap. de legi. & ibi plene Bar. Fallit in odium „ Judaeor. In aliis autem *opinio benignior debet observari*. L. Benignus. ff. de leg. Facit cap. „ si de transact. Tenet hoc Pa. in d. Cle. ne Romani in prin. Et benignior dicitur illa, quae „ favet iuramento, testamento, libertati, matrimonio, religioni, & Sacramento facit cap. 2. „ de cog. spi. L. sunt personae in. si. ff. de reli. „ fune. *Similiter illa, quae solvit, quam quae ligat.* Regula *Odia*. lib. 6. L. Arrianus ff. de act. „ & oblig.“

341 Et quod B. Angelus non loquatur solum de opinione benigniore, quae solvit, in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiae, dummodo habeat in hoc foro omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benignorem, probatur primo, quia B. Angelus suam Summam scripsit praesertim pro Confessariis, & sic pro foro conscientiae.

342 Secundo, quia in sua Summa verbo Confessio IV. ait: *Adverte tamen, quod si dubium versetur circa aliquid faciendum, vel poenam subeundam, tunc benignior opinio est eligenda ff. de eo.*

quod cer. L. quod si Ephesi in fi. unde 1. c. de trans. dom. In his super quibus ius non inveniatur expressum, procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, causas, loca, & tempora videris postulare. Haec ibi. Hoc idem tenet Bar. in L. Omnes populi ff. de iust. & iur. nisi forte esset aliquid faciendum, quod faciliter posset expediri. Circa hoc autem Fr. Jacobus Ungareli in Additionibus marginalibus ad Summam B. Angeli inquit: Faciliter puta tenetur quis ire ad Ecclesiam. Ex quibus videtur, doctrinam B. Angeli de praferenda opinione benigniore, quae solvit, intelligendam esse non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiae, in sensu Resolutionis.

ARTICULUS XI.

Probatur Resolutio auctoritate aliorum
gravium Theologorum.

343 Silvester Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Magister, in sua *Summa*, verb. *Opinio* num. 2. docet etiam, tenendam esse opinionem probabiliorem, si appareat; si autem non, quia opiniones videntur aequae probabiles, tunc docet illud ipsum, quod B. Angelus supra num. 340. Et concludit sequentibus verbis: *Et dicitur benign-*

nior, quae favet iuramento, testamento, libertati, matrimonio, religioni, & sacramento. arg. c. fi. de cognatione. sp. & L. sunt personae. ff. de religione & summa fune, & similiter ea, quae solvit, benignior est ligante. de reg. iur. Odia. lib. 6. L. Arrianus. ff. de actio. & oblig.

344 Et quod Silvester teneat, opinionem benigniorem, quae solvit, esse praferendam non solum in foro externo, sed etiam in interno, & conscientiae, probatur ex aliis, quae docet ibi in sua *Summa*, verb. *Confessor III.* num. 13. sequentibus verbis.

345 „ Decimo quaeritur, quid faciet (*Confessor*) si occurrat ei dubius casus? Et distinguo: quia casus est dupliciter dubius. Primo „ ipsi Confessori, qui propter suam imperitiam „ dubitat in re certa. Secundo in se, & non Confessori: ut quia ipse probabiliter quidem tenet „ determinate unam partem, tamen poenitens, „ vel alius dubitat propter rationes, vel opiniones Doctorum contrarias.... In primo casu dicco (N.B.) optimum esse in Confessore scire dubitare de ignoratis, quia cautius incedit. Unde nisi legerit casus decisionem, vel habeat rationes evidentes, semper dubitare, & peritos consultare, aut ipsem rem noviter videre debet, si tempus hoc patitur, dicendo peccatori, se velle rem melius cribrare; alioquin si tempus non patitur, absolvat poenitentem quantum sua se extendit auctoritas, imponens ei, ut super re dubia, consulat talem, vel talem peritum,

„ vel peritos in genere , & pareat eis : sicut Me-
 „ dicus imperitus aegrum ad peritiorem remitte-
 „ re debet. arg. c. qui vult de poe. 6. Quod si
 „ neque hoc possit , exigat à poenitente , quod
 „ sit paratus facere omne quod tenetur , & con-
 „ sulat eis quod tutius est , & quaerat quantum
 „ potest scire veritatem : & in dubio non dene-
 „ get absolutionem ; & hoc sufficit : quia si iste
 „ est paratus ita facere , est contritus , & nihil
 „ habet absolutioni repugnans.“

346 „ In secundo casu , secundum Glossam
 „ Ray. non est praecipitanda sententia... Sed tu-
 „ tior via consulenda , & terror incutiendus ex
 „ periculo: quod tunc videtur verum , quando
 „ poenitens ex probabili ratione adhaeret opinio-
 „ ni alicuius Doctoris notabilis : quo casu Con-
 „ fessor relinquit onus super conscientiam eius,
 „ si nolit acquiescere. Quando vero aliquis non
 „ habet in se bonam rationem , quare buic ma-
 „ gis quam illi opinioni baeret , & consequenter
 „ remanet in dubio: propter quod , si dubium sit
 „ in aliquo , à quo omnino abstinentur est , eli-
 „ genda est pars tutior , ne discrimini se exponat.
 „ Si vero non sit dubium principaliter super pecca-
 „ to ; sed utrum quis teneatur ad aliquid facien-
 „ dum , vel dandum , vel poenam subeundam , sem-
 „ per ELIGATUR OPINIO BENIGNIOR. ff. de
 „ eo quod cer. loc. L. Quod si Epbesi. Unde ut
 „ dicitur in c. fi. de transact. In his super quibus
 „ ius non inveniatur expressum , procedas aequitata
 „ servata , semper in humaniorem partem declinata.

„ do , secundum quod personas , causas , & tempo-
 „ ra videris postulare. Haec ibi. Quod & Bar. te-
 „ net in L. Omnes populi. ff. de iust. & iur. Et
 „ in dubio regulariter danda est sententia pro
 „ Reo: nisi in causa matrimonii , dotis , seu li-
 „ bertatis , vel testamenti: ut in cap. 6. de reg.
 „ iur. & in c. cum sunt. & in c. Odia. eo. tit.
 „ lib. 6. & ff. de leg. L. Benignis ; nisi forte
 „ esset aliquid faciendum , quod faciliter posset
 „ expediri , ut cum quis absolvitur ad cautelam.

347 In quibus praecipue notanda sunt illa
 verba: *Si vero non sit dubium principaliter super
 peccato* (id est , si non sit dubium practicum) ;
*sed utrum quis teneatur ad aliquid faciendum , vel
 poenam subeundam semper eligatur benignior.* Nam
 ex his patet , non solum esse praefrendas opini-
 ones circa poenas , sed etiam circa alias obli-
 gationes , & alia onera , etiam in foro cons-
 cipientiae.

348 *Bartholomaeus Fumo* in sua *Aurea Armilla* (impres. an. 1567.) verb. *Opinio* , ait: *Opinio sequens aequitatem scriptam praefertur sequenti rigorem iuris. Opinio , QUAE SOLVIT , POTIUS SEQUENDA EST , QUAM EA , QUAE LIGAT.* Reg. Odia lib. 6.

349 *Martinus Azpilcueta Navarrus* in suo *Manuali Confessariorum* (cap. 26.) inquirens , qualiter Confessarius se gerere debeat cum poe-
 „ nitente , ait : „ *Et notandum est , quod quando agitur de aliquo , an sit , vel non sit pecca-
 „ tum mortale : in dubio debet Confessarius (&*

„etiam poenitens) eligere partem tutiorem. At vel
„ro quando dubium est, an sit, vel non sit obli-
„gatus (N.B.) ad talem rem facientam, vel dan-
„dam, vel poenam subeundam, tunc Confessarius
„eligere debet opinionem benignorem.“

350 Idem Navarrus ibi in suo *manuali* (cap.
„27.) ait: „Aliud (*remedium pro scrupulosis*) est
„asuescere se temperare rigorem legum (tam
„divinarum, quam humanarum) per virtutem
„aequitatis, qua ipsem (*scrupulosus*), quin
„auctoritate Superioris indigeat, uti potest, quo
„ad forum conscientiae, quamvis non quo ad
„forum externum. Quare à peccato excusat se,
„qui legem observat secundum mentem Legisla-
„toris; quamvis non secundum verba illius. Qui
„legem custodit secundum *sensum blandum*; quam-
„vis eam non observet secundum *sensum durum*.“
Vid. num. 325.

ARTICULUS XII.

Probatur Resolutio ex eo quod videa-
tur de mente Supremi Segislatoris.

351 **N**otatum est, quod in dubiis circa leges,
& circa earum intelligentiam, & interpretatio-
nem atendi debet mens, & intentio Legislatoris.
Quare haec inter alias Regula praescribi solet:

Interpretatio pottus menti, quam verbis Legislatoris convenire debet. Unde in praesenti ostendetur, quod proposita Resolutio de praferenda opinione benigniore, quae solvit, est de mente Supremi Legislatoris. Quod sit de mente humanorum Legislatorum probatum est ex aductis legibus, & textibus Juris, auctoritatibus que DD. Nunc autem probabitur, quod etiam sit de mente Supremi Legislatoris.

352 Primo, quia Supremus Legislator Deus est infinite Bonus, misericors, & Benignus, proindeque Benignior omni humano Legislatore. Ait enim Div. Bernardus (serm. de subiect. nostr. volunt. in fine): *Quanto enim benignior, & dulcior est divina Clementia quolibet homine, tanto suavius esse manifestum est iugum eius, coeteris omnibus.*

353 Item Nider (in Consolatorio cap. 20.) inquit: *Deus rationabilior, magisque Benignus est, quam quisque alius Legislator.* Sed Resolutio proposita de praferenda opinione aequo probabili, quae solvit, & est christiane benignior, videotur de mente humanorum Legislatorum, propter Leges, Jura, & auctoritates adductas: igitur idem potius praesumendum, ac sentiendum est de Supremo Legislatore Deo. Vid. supr. n. 8. & seq.

354 Confirmatur, quia benignitas, quae invenitur in humanis legibus derivatur à Deo, ut ait S. Augustin. (lib. de liber. arbitr. cap. 5.): *In temporali lege nihil est iustum, ac legitimum,*

quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint.

355 Et S. Antonius Patavinus (serm. fer. 6. in cap. de ieun.) inquit: *Argumentum ex oppositis in lege nedum divina, verum etiam humana, numquam tenet procedendo scilicet, à gratia ad poenam, quia gratiae semper sunt ampliandae; poenae vero restringendae, & hoc trahunt leges à Lege Divina, quae semper punit citra, & præmit ultra modum, vel meritum. Igitur benignitas, quae invenitur in opinione christiane benigniore, provenit à Deo, & consequenter est de mente ipsius.*

356 Secundo probatur ex illo Math. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Nam inter plura, quae in his verbis contineri possunt, unum est misericordia in iudicando, & opinando, ita ut in concursu opinionum aequaliter probabilem, quarum altera ligat, & altera solvit, si locum habeat christiana misericordia, Deus tunc magis velit misericordiam, quam sacrificium, id est, magis velit tunc Deus iudicium, & resolutionem secundum opinionem benignorem solventem, quam secundum duram obligantem.

357 Confirmatur ex eo quod S. Antoninus (in Sum. part. 4. tit. de misericordia cap. 18. §. 7.) dicit super praedicta Christi verba. Sic enim ait: „Dicitur à Domino: *Misericordiam volo, & non sacrificium:* quam auctoritatem Christus allegavit, quando Judaei murmurabant contra eum, quia in domo publicani cum

Y.

„ peccatoribus madducaret , & biberet : Euntes
 „ autem dicite , quid est misericordiam volo , & non
 „ sacrificium. Huius ratio est , quia misericordia
 „ magis sit grata Deo , quam sacrificium ei ofer-
 „ re , quod pertinet ad cultum Divinum , & vir-
 „ tutem religionis , secundum Div. Thomam ubi
 „ supra. Quia Deum non colimus per exteriora
 „ sacrificia , vel munera propter ipsum , sed prop-
 „ ter nos , & proximos nostros. Non enim Deus
 „ indiget sacrificiis nostris ; sed vult ea sibi ofer-
 „ ri propter nostram devotionem excitandam , &
 „ proximorum utilitatem. Et ideo misericordia ,
 „ qua subvenimus defectibus proximorum est sa-
 „ crificium Deo acceptum , utpote propinquius
 „ utilitati proximorum deserviens , secundum illud
 „ ad Haebreos 6. Beneficentiae , & communionis
 „ nolite oblivisci , talibus hostiis promeretur Deus.
 „ Sic etiam intelligendum est , quod ait Ambro-
 „ sius in glos. super illud 1. ad Thimot. 4. Pie-
 „ tis ad omnia utilis est : omnis summa christiana
 „ disciplinae in misericordia , & pietate consistit ,
 „ quantum scilicet ad summam operum exterio-
 „ rum christiana disciplinae. Nam quantum ad
 „ affectum interiorem affectio charitatis , qua con-
 „ iungimur Deo , praeponderat dilectioni , & mi-
 „ sericordiae ad proximos .“

358 In concursu autem opinionum aequaliter
 probabilium , quarum altera ligat , seu obligat
 ad aliquid faciendum , seu exequendum , & al-
 tera solvit , seu liberat ab illa obligatione , &
 illo onere : si resolutio non fiat secundum opi-

nionem obligantem, privatur Deus illo obsequio, quod ei fieret, illud faciendo, seu exequendo. Homo tamen solvit, & liberatur ab illa obligatione, & onere, quodquidem opus charitatis & misericordiae est Resolventis, quando opinio, quae solvit, est christiane benignior, in sensu Resolutionis iuxta dicta à num. 208. usque ad 256.

359 Cum igitur Deus non indigeat sacrificiis, & obsequiis nostris, & sit infinite misericors, ac benignus, & dicat, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, inter plura, quae in his verbis comprehendi possunt, ac significare voluit, potuit unum esse benignitas opinandi in sensu Resolutionis, praferendo opinionem, quae solvit ab obligatione; quamvis tunc privetur Deus illo obsequio, ad quod praestandum obligat opposita opinio: ita ut sensus sit, quod tunc magis vult Deus istam misericordiam erga miseros homines, quam obsequium, quod ipsi praestaretur eos obligando ad illud praestandum. Si enim Deus magis vult misericordiam in opinando, & resolvendo in favorem Rei, & in aliis, in quibus dantur opiniones benigniores, cur non etiam ubi datur opinio, quae solvit, & est christiane benignior, & per eam homo liberatur à dura obligatione legis, vel praecepti in foro conscientiae?

360 Explicatur, & confirmatur id sequentī exemplo. Si aliquis Rex Potentissimus, ditissimus, & summe misericors, decretum ederet, ac declararet, quod in dubio stricto, an aliqua tri-

buta essent sibi debita , quia ad hoc , & ad oppositum essent momenta aequa probabilia , tunc volebat , quod vasalli non obligarentur ; tunc proculdubio , iuxta Regis mentem , & intentiōnem , deberent resolvi , ac iudicari illa dubia , nempe , resolvendo , & iudicando secundum opinionem benigniorem solventem ab obligatione praestandi illa tributa Regi . Cum igitur Rex , ac Legislator Supremus expresse dixerit , *misericordiam volo , & non sacrificium* , satis expresisse est praesumendum , quod ubi locum habeat christiana misericordia , praeferatur rigori , & obligationi durae , & consequenter quod in concurso opinionum aequaliter probabilium , quarum altera ligat , & altera solvit , si que solvit , est christiane benignior , ut in sensu Resolutionis , ista tunc praeferenda sit a resolvente pro directione alterius .

361 Confirmatur ex S. Ambrosio (in Evangel. Math. cap. 20. in lect. 8. Ofic. S. Jacob.) dicente : „ Praerrogativam eis paternae honos , rificentiae reservavit , non metuens , ne aliquid iuri proprio derogaret , qui non rapinam arbitratus est , esse se aequalem Deo : simul diligens Discipulos , quia sicut habes , usque in finem dilexit eos . Noluit his , quos diligenter , videri , quod paterent , denegasse sanctus , & bonus Dominus , qui mallet aliquid disimulare de iure , quam de charitate deponere .“ Vide Prolog. n. XVIII. & XIX.

ARTICULUS XIII.

*Prosequitur asumptum articuli
praecedentis.*

362 *Quamvis attributa iustitiae, & misericordiae in Deo sint aequalia, Deus tamen magis pronus est ad misericordiam, & benignitatem, quam ad iustitiam, & rigorem. Hoc multipliciter ostenditur. I. Ex Ps. CXIV. v. 5. Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Ubi ex Chrisostomo, & aliis, inquit Lorinus, quod misericordia bis ponitur, & semel iustitia, ad denotandum, Deum esse magis proximum ad misericordiam, & benignitatem, quam ad iustitiam, & rigorem.*

363 *II. Ex Ps. 32. Diligit misericordiam, & iustitiam, misericordia Domine plena est terra. Super hoc autem dicit Incognitus: Licet misericordia (in Deo) non sit sine iustitia; misericordia tamen magis reluet in operibus Dei; unde subditur: misericordia Domini plena est terra. Terra dicit, non Coeli, quia Coeli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria. In terra hominis abundat, & superabundat Dei misericordia. III. Ex S. Antonio Patavino (serm. fer. 5. hebdom. 2. quadrag.) dicentae quod Deus non vult esse tam*



364 Ex hoc sic arguitur: Debemus similes esse Deo in misericordia, iuxta illud: *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester coelestis misericors est* (Luc. 6. 36.): atqui Deus ita misericors est, ut sit magis pronus ad misericordiam, quam ad iustitiam: igitur nos similiter esse debemus, & consequenter in iudicando, & resolvendo praferenda est opidio benignior in sensu Resolutionis.

365 Confirmatur ex Div. Bernardo (serm. de subiect. nostr. voluntatis) dicente: „Quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino: & quod certum est eum nolle, similiter exercemus & nos. Quod autem incertum est, utrum velit, aut nolit, neque velimus ex toto, neque poenitus non velimus..... Ubi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus, aut ipse spiritus manifeste clamat in cordibus nostris quid sentiendum est, ut est charitas, humilitas, castitas, obedientia: haec approbemus indubitanter, & ea appetamus, quae placere Deo scimus indubitanter. Sed & omnino odisse debemus illa, de quibus certum est, quod oderit ea Deus, ut est austeritia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In rebus vero, de quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat; pendeat que inter utrumque, aut saltem neu-

„tri nimis inhaereat, cogitans semper, ne forte
„altera pars Deo placeat, & parati siimus volun-
„tatem eius sequi IN QUAMQUMQUE PAR-
„TEM EAM COGNOVERIMUS INCLINARI.“

366 Cum igitur Dei voluntas magis prona sit ad misericordiam erga homines, quam ad iustitiam, & rigorem, ut supra ostensum est; simili-
ter debemus & nos magis inclinari ad misericordiam, quam ad iustitiam, etiam in iudicando, &
resolvendo pro directione alterius, ac praefere opinio-
nem benigniorem in sensu supradictae Resolu-
tionis.

367 Confirmatur 2. Ex Divo Bonaventura (in diet. salut. diet. 8. cap. 3.) dicente: *Primo debet nos movere ad benicitatem paeceptum, quod à Christo inducitur, vel imponitur. Unde dicitur: Estote ergo misericordes, sicut, & Pater vester misericors est.* Idem docet S. Antoninus (in sum. part. 4. tit. cap. 1.) his verbis: *Jubemur Deo asimilari, dum dicitur, Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Cum igitur Deus ita misericors sit, ut magis pronus sit ad misericordiam, & benicitatem, quam ad iustitiam, & rigorem, & nobis paeceptum sit asimilari Deo in misericordia, debemus magis proni esse ad misericordiam, quam ad iustitiam, & rigorem, ideoque praeferre opinionem christiane benignorem durae, & odiosae dum resolvitur pro directione alterius, ne gravetur onere opinionis durae.

368 Confirmatur asumptum ex aliis SS. & Doctoribus. Ex Gregorio Nazianzeno (orat. su-

neb. Athanasii Episcopi Alexandrini) dicente: *Ita enim habeo in dubiis, ut ad humanitatem inclinari senseam oppertere, & crimina potius dissimilare quam condemnare.*

369 Ex Div. Cirillo (in Apolog. moral. lib. 1. c. 22.) dicente: *Magis semper partem misericordiae teneas. Ex S. Isidoro Hispallensi (lib. 2. si nonim.): Tene ergo rigorem in discussiones iustitiae; misericordiam in definitione sententiae.*

370 Ex S. Antonio Patavino (serm. sabath. hebd. 3. quadrag.): *Sententianda (acusatio) est cum benignitate, & pietate, ut homo in iudicando sit inclinatus ad misericordiam, & non erectus ad iustitiam.*

371 Ex libro de Regimine Principum (quem aliqui tribunt Div. Thomae) ubi cap. 15. dicitur: *Multum necessaria est Principi misericordia.... Ignis zeli ardere debet in oleo misericordiae.... Gregorius super Ezequiel: Sancti zeli districtio de virtute misericordiae necesse est, ut ardeat. Et paulo post, ait: Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli parcere: medium enim tenere debemus; sed quia difficile temperamentum est, quid aequo plus futurum est, IN PARTEM HUMANIOREM PRAEPPERDERET.*

372 Ex Dionisio Carthusiano (apud Cornel. à Lap. sup. ill. *Misericordia super exaltat iudicium*) dicente: *Plus placet Deo charitativa miseratione quam iudicialis districtio. Unde opportet, ut iura sint in misericordiam prona, & stent magis iuramento acusati, quam acusantis; ac in du-*

biis casibus ad misericordiae partem inclinent.

373 Ex Nicolao de Lyra (super nuper dicta Jacobi verba) dicente; *In casibus dubiis inter iustitiam, & misericordiam SEMPER DECLINANDUM EST AD PARTEM MISERICORDIAE.* Igitur tenenda est Resolutio proposita.

ARTICULUS XIV.

Probatur Resolutio ex eo, quod in sensu illius, lex misericordiae, & benignitatis militat pro opinione, quae solvit, tamquam lex fortior, & prævalens, proindeque tunc est preferenda opinioni liganti, & obliganti.

174 **R**esolutio proposita, ut supra dictum est, non procedit de quacumque opinione aequi probabili, quae solvit, a gravi onere, incommodo, & molestia; sed de illa quae ultra haec habet omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benignorem, quarum prima est *quod non solvat contra bonos mores, seu contra aliquam legem.* Secunda, *quod solvat ex lege, & secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana-*

Z

nae. Tertia, quod concurrat tunc lex misericordiae, & benignitatis, & militet pro opinione, quae solvit, tamquam lex fortior alia quamcumque lege militante tunc pro opinionae quae ligat. Vid dicta à num. 231.

375 Et notandum est, quod sicut datur lex iustitiae, etiam datur lex misericordiae, clementiae, & benignitatis. Lex misericordiae ex ipsa humana natura veluti profluit, iusta illud Nazianzeni (orat. 16. de pauper cura): *Naturae est humanae, quae compassionem lege statuit, pietatemque, & humanitatem ex aequali imbecilitate didicit.*

376 Lex misericordiae etiam est lex Divina, iuxta illud Luc. c. VI. v. 36. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester coelestis misericors est.* Unde Div. Gregorius in Ps. Poenitent. sup. ill. *Quia apud te propitatio est,* ait: *Lex Dei misericordia est....Filii Dei aliter esse non possumus, nisi misericordiae legem servando.* Et S. Antoninus (in sum. part. 4. tit. 1. c. 1.) inquit: *Jubemur Deo asimilari, dum dicitur: Estote misericordes, sicut & Pater vester coelestis misericors est.*

377 Lex clementiae indicatur in Proverb. cap. XXXI. v. 26. *Os suum aperuit sapientiae, & lex clementiae in lingua eius.* Et Lorinus in Ps. 129. ait: *Distinctionem legis adfert Innocentius in legem gratiae, iustitiae, & clementiae.* De lege benignitatis loquitur Div. Bonaventura (in dieta salut. diet. 8. cap. 3.) dicens: *Primo debet*

*nos movere ad benignitatem praeceptum, quod à
Cristo inducitur, vel imponitur. Unde dicitur: Es-
tote misericordes, sicut & Pater vester coelestis
misericors est. His praemissis.*

378 Probatur Resolutio: In dubio stricto, & proprio, in quo concurrunt duae leges, quae opponi videntur, praeferenda est lex fortior; sed in concursu opinionum aequaliter probabilem, quarum altera ligat, seu obligat, & altera solvit, in sensu Resolutionis, datur dubium strictum, & proprium, concurruntque duae leges, quae videntur opponi, nempe iustitia militans pro opinione, quae ligat, & exigit observantiam legis; & misericordia, seu benignitas, que militat pro opinione, quae solvit, & negat obligationem observandi illam legem: Igitur tunc praeferenda est lex fortior, & opinio pro qua lex fortior militat. Mai. probata est à num. 54. min. etiam ex dictis ostensa est: conseq. sequitur.

379 Nunc sic: sed in dicto concursu, & in sensu Resolutionis, lex misericordiae, quae militat pro opinione, quae solvit est fortior lege iustitiae militante pro lege, quae ligat: igitur tunc praeferenda est lex misericordiae, seu benignitatis, & consequenter etiam opinio, quae solvit, pro qua militat tunc lex misericordiae, & benignitatis christiana.

380 Min. subsump. Ex multis probatur I. Ex Epistola Jacobi (cap. II. v. 13.): *Superexaltat au-tem misericordia iudicium* (seu iustitiam). Circa hoc autem Caietanus (apud Cornel. à Lapid.) in-

quit: *Sicut in statera una lanx pondere aliquo depresso, elevat alteram, & adversam; ita misericordia elevat iudicium (seu iustitiam) q. d. apud Deum plus ponderis, & momenti habet misericordia, quam iudicium (seu iustitia), adeoque ipsa indicium extenuat, & elevat.*

381 II. Ex Div. Gregorio Nazianzeno (orat. 16. de cura pauper.) dicente: *Nulla enim ex omnibus re Deus perinde ac misericordia colitur: quoniam nihil aliud tam peculiare est Deo, quam illa, ante quem misericordia, & veritas gradiuntur, & apud quem MISERICORDIA IUDICIO PRAE-PONDERAT. Clementia enim nulli rei magis clementiae retribuitur ab eo, qui iuste iudicat, & misericordiam in statera ponderat.*

382 Et in Oratione XV. ad subdit, & Imperatorem loquens, ait: *Tu autem, homo Dei... divinam imitare clementiam, qua Deus magis gaudet quam cunctis aliis: donum immaculatum... nihil te esse principatus persuadeat dignitas, nihil misericordiam, & humanitatem excludat.*

383 III. Ex Div. Ambrosio (apud Lorinum) sup. illud Ps. 114. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur, sic dicente: „Misericordia superexaltat iudicium.... gloriatur super illud, gloriatur adversus illud, exultat contra illud, non reformidat.... Si cum iudicio contendat, victrix erit misericordia, eminebit, & atollet caput.“*

384 IV. Ex S. Antonio Patavino (serm. dominic. 2. post Pasch.) sic dicente: *Arcus constans*

ex ligno & chorda iudicium, & misericordiam significat. Sicut enim chorda flectit lignum, sic misericordia iustitiam, vel iudicium super exaltat ut ait Jacobus cap. 2.

385 Si autem aliquis dicat, quod misericordia in opinando praeponderat iudicio, seu iustitiae dumtaxat quando opinio benignior est etiam probabilior, non vero quando est solum aequa probabilis; nam tunc est dubium speculativum, ex quo resultat practicum, proindeque peccati periculum; hoc non valet dicere, nam falsum est.

386 Hoc patet I. Ex utroque Jure, docente, opinionem benignorem aequa probabilem praeferrandam esse oppositae odiosae, ut patet ex dictis a num. 212. II. Quia misericordia habet quandam excellentiam super iustitiam, coeteras que virtutes, ut patet ex SS. Patribus supra adductis, & signanter ex Div. Thoma (2. 2. quaest. 30. artic. 4. n. 10.) dicente: *Quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo unitur, est potior quam misericordia, per quam defectus proximorum suplet. Sed inter omnes virtutes, quae ad proximum pertinent, potissima est misericordia.*

387 Et ex S. Bonaventura (in diet. salut. diet. 7. cap. 3.) dicente: „Misericordia est virtus coeteras virtutes superans..... Misericordia..... superexaltat iustitiam..... Nam dicit Jacobus: *Misericordia superexaltat iudicium.* Et de hac *excellenta misericordiae respectu aliarum virtutum dicitur in Ps. Miserationes eius super omnia opera eius.“*

388 Haec autem excellentia misericordiae super iusticiam, coeterasque virtutes, in opinionum concursu, & in opinando non est propria, & solius misericordiae, quando opinio, quae militat pro iustitia, est probabilior. Nam tunc stat veritas pro parte probabiliori, cum maior probabilitas sit moraliter veritas, iuxta dicta num. 41. Et veritas est super misericordiam, atque super omnia, iuxta illud Esdrae (3. cap. 3. v. 13.): *Super omnia autem veritas.* Et ibi cap. 4. *Veritas magna, & fortior prae omnibus.*

389 Excellentia igitur misericordiae in opinando solum ei proprie competit in concursu opinionum aequaliter probabilium, quarum una est christiane benignior, ut patet ex utroque Jure, uti dictum est num. 385. Neque tunc est dubium practicum; nam licet tunc dentur opiniones *directe* eque probabiles, & sic dubium speculativum; reflexe tamen non sunt aequae probabiles; nam pro opinione benigniore occurrit, & militat lex misericordiae, quae tunc est fortior lege iustitiae, & sic rationabiliter deponitur dubium practicum, quod alias resultaret ex dubio speculativo. Unde tunc non est dubium practicum, nec peccati periculum, quod vitari debeat. *Vid. infr. à num. 544. Et vid. dicta num. 246.*

390 Ex dictis igitur patet, quod in dubio stricto, ob concursum opinionum aequaliter probabilium, ubi concurrunt iustitia, & misericordia, lex misericordiae est tunc lex fortior lege iustitiae; & consequenter tunc à iudicante, vel re-

solvente, praferenda est opinio benignior, pro qua militat lex misericordiae, in sensu Resolutionis supra exposito.

391 Et hoc non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, & conscientiae. Nulla enim ratio apparet, ut Dei misericordia coartetur, ac restringatur ad forum externum, quin ad internum transcendat, & extendatur. Non enim ad solos Judices fori externi, sed etiam ad Confessarios, & Theologos directa est, ac intimata lex illa, vel praeceptum illud: *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et ubicumque aequitas suadet est subveniendum. L. Divus D. de in integ. restit. Et *Ubi non patent iura clara, opportet desimilibus ad similia iudicare,* inquit S. Joannes à Capistrano (in suo Speculo conscientiae). Vid. dict. à num. 297.

ARTICULUS XV.

Probatur Resolutio, quia alias obligaret lex stricte dubia quoad existentiam ex praecissa ratione talis legis stricte dubiae, contra communem DD. sententiam.

392 In primo tractatu huius Dissertationis

194 *De benignitate in opinando*

quaest. 5. egimus de lege dubia. Ibi diximus, quod lex est improprie, & late dubia, quando rationes ad dubitandum sunt inaequales; & quod est stricte, & proprie dubia, quando rationes ad dubitandum sunt aequales, seu aequae probabiles.

393 Diximus etiam, quod lex alia est stricte dubia *quoad extensionem*, & alia *quoad existentiam*. Quoad extensionem est lex stricte dubia, quando circa extensionem legis ad aliquem casum dantur opiniones oppositae, & aequae probabiles. Quoad existentiam vero tunc lex est stricte dubia, quando circa legis existentiam dantur opiniones oppositae, & aequae probabiles, quarum altera affirmit, legem dari, seu existere; & altera negat.

394 Ibi etiam asseruimus, quod lex stricte dubia *quoad existentiam non obligat per se*, & *praecissa ratione talis legis*. Quia, ut ibi ostendimus, iuxta communem DD. sententiam, lex non debet esse obscura, sed clara, manifesta, & certa. Lex autem stricte dubia *quoad existentiam non est clara, manifesta, & certa; sed obscura*. Unde nec est vera lex, nec vim obligandi habet ex *praecissa ratione talis legis stricte dubiae quoad existentiam*.

395 Ex hoc autem sequens eruitur argumentum pro praesenti Resolutione. Si opinio aequae probabilis, quae solvit, & est Christiane benignior ligante, seu obligante, in sensu Resolutio- nis, non esset preferenda, & preferri deberet opposita opinio, quae ligat, seu obligat, haec obligaret ad eius sequelam, & observantiam; sed

eo ipso obligaret lex stricte dubia quoad existentiam ex praecissa ratione talis legis sic stricte dubiae, contra communem sententiam Doctorum: Igitur dicendum est, quod opinio, quae ligat, non est preferenda in sensu Resolutionis, sed opposita opinio, quae solvit.

396 Prob. min. Si circa legis existentiam occurant opiniones contrariae, & aeque probabiles, lex erit stricte dubia quoad existentiam: g. si tunc opinio, quae affirms legem dari, seu existere, obligaret ad sui sequalem, & observantiam, obligaret lex stricte dubia, quoad existentiam, per se, & ex praecissa ratione talis legis stricte dubiae, contra communem DD. sententiam.

397 Si respond. Quod lex illa dubia non obligat per se, & ex praecissa ratione talis legis stricte dubiae quoad existentiam; sed ex alia lege certa tunc concurrente. Nam tunc datur dubium strictum speculativum, ex quo resultat dubium practicum; & datur lex certa prohibens operari cum dubio pratico, ex qua lege certa obligat tunc lex stricte dubia quoad existentiam, & ex tali lege debet tunc preferri pars, seu opinio tertia, seu quae ligat, & consequenter lex stricte dubia quoad existentiam tunc obligat ex hac lege certa, & non ex ratione legis dubiae.

398 Contra, quia licet hoc verum sit, quando lex est stricte dubia quoad existentiam, ita ut opinio, quae negat existentiam legis, proindeque obligationem ad eius observantiam, non sit christiane benignior; falsum tamen est quan-

Aa

do est christiane benignior , seu habet omnes con-
ditiones necessario requisitas ad opinionem chris-
tiane benigniorem , & supra asignatas ; in quo
tantum sensu procedit Resolutio proposita.

399 Prob. hoc , quia tunc nulla altera lex
apparet , ex qua lex illa obliget : g. si tunc obli-
garet , lex stricte dubia quoad existentiam , obli-
garet per se , & ex praecissa ratione talis legis ,
sic stricte dubiae contra communem Doctorum
sententiam . Prob. ant. Tunc pro opinione negan-
te legis existentiam , & obligationem , militat lex
misericordiae , & benignitatis christiana tamquam
lex fortior , uti dictum est articulo praecedenti:
igitur tunc pro opinione opposita asserente exis-
tentiam legis , & obligationem ad illam legem du-
biā , non apparet lex ulla , ex qua obliget ; nam
lex fortior , nempe , lex misericordiae , & benig-
nitatis christiana , praevalēt , & consequenter
nulla lex in oppositum tunc obligat : g. si obli-
garet , esset ex illa lege dubia . Vid. a n. 246.

400 Amplius urgetur , & probatur , tunc non
posse oriri obligationem ex lege prohibente ope-
rari cum dubio praticos , siquidem non datur
tunc dubium practicum , licet detur speculativum
ob concursum opinionum oppositarum , & aequē
probabilium . Quare neque tunc militat pro opi-
nione ligante , & pro lege dubia , lex prohibens
operari cum dubio pratico . Non enim datur du-
bium practicum , licet detur speculativum , quia
dubium practicum , quod resultaret ex speculativo
deponitur , & tollitur reflexe , atendendo , & con-

siderando, quod pro opinione negante existentiam legis, & eius obligationem, militat tunc lex misericordiae, & benignitatis christiana, tamquam lex fortior, & ratio saltem probabilior, ex qua rationabiliter deponitur dubium practicum. Vide a num. 544.

401 Quando igitur lex est stricte dubia quoad existentiam, & opinio, quae negat existentiam legis, & eius observantiam, est christiane benignior, in sensu Resolutionis, si lex stricte dubia quoad existentiam seu quae eque probabiliter existit, tunc obligaret; non obligaret ex vi alterius legis certae, nam tunc nulla datur alia lex obligans; unde obligaret per se, & ex praecissa ratione talis legis stricte dubiae, quod est contra communem DD. sententiam, & consequenter reiiciendum.

402 Dicendum est igitur, quod lex stricte dubia quoad existentiam, non obligat ex praecissa ratione legis sic dubiae. Et quod si aliquando obligat, est ratione alterius legis certae, ex qua sequeretur dubium practicum non observando legem sic dubiam.

403 Quando autem lex est stricte dubia quoad existentiam, ita ut opinio negans existentiam legis sit christiane benignior, in sensu Resolutionis, tunc lex stricte dubia non obligat, quia nulla est tunc lex certa, ex qua obliget, & quia neque obligat ex praecissa ratione legis stricte dubiae quoad existentiam, uti ostensum est. Vid. a n. 44.

404 Sed quaeri potest: Quare lex stricte dubia quoad existentiam non obligat, sed requiritur lex manifesta, & certa (saltem certitudine quoad moralis)? Potest dici, quod, ut inquit Div. Thom. (l. 2. q. 30.) lex dicitur à ligando, quia obligat ad agendum; omnis autem obligatio probari debet: igitur & obligatio legis probari debet; non autem probatur, cum lex est stricte dubia quoad existentiam. Nam tunc probatio est stricte dubia, cum tunc dentur opiniones oppositae aequae probabiles; altera pro existentia, & obligatione legis; & altera contra existentiam legis, & eius obligationem. *Dubia autem probatio non est probatio*, ut inquit Glossa in cap. in praesent. Sed queri adhuc potest: cur non sufficiat probatio dubia obligationis legis? Si enim ratio, seu opinio aequae probabilis contra eius existentiam, & obligationem, sufficit tunc ad solvendum; quare ratio, seu opinio opposita aequae probabilis non sufficiat tunc ad obligandum ad observandam illam legem, quamvis stricte dubiam quoad existentiam?

405 Respondendum, videtur, quod ratio ultimata est, quia in illo stricto dubio inter misericordiam, & iustitiam; misericordia concurrit tamquam lex fortior, & militat pro opinione solvente ab obligatione illius legis stricte dubiae, & in dubio stricto inter duas leges, dubium debet resolvi secundum legem fortiorum, iuxta dicta à num 53. Loquimur enim de opinione eque probabili, negante existentiam legis, & habente

A

omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benigniorem. Cum autem talis est ; pro opinione opposita affirmante existentiam legis, & obligationem observandi illam legem stricte dubiam , solum militat iustitia legalis simplex, ac nuda (seu absque aliquo adjuncto agravante), que quidem exigit severam , & strictam observantiam illius legis. Pro opinione autem, quae solvit ab obligatione illius legis , militat lex misericordiae , ac benignitatis , negans eque probabiliter existentiam illius legis , ac proinde obligationem ad eius observantiam , quia in dubio stricto homo non debet gravari , nec obligari. Quando autem inter iustitiam legalem simplicem , ac nudam , & misericordiam datur dubium strictum ; tunc lex misericordiae est fortior , ac maioris ponderis ; proindeque dubium est resolvendum secundum legem misericordiae (alias numquam , quod falsum est); ait enim Jacob. (Epist. c. 2.): *Superexaltat autem misericordia iudicium* (seu iustitiam). Vid. num. 246 & num. 374.

ARTICULUS XVI.

Probatur Resolutio, quia eius doctrina videtur sana, & iusta, probabilior, & tutior resolventi pro directione alterius.

406 **D**octrina Resolutionis sana, iustaque videtur, nam uti ostensum est artic. 12. à num. 351. videtur de mente, ac voluntate Supremi Legislatoris. Deinde non est contra bonos mores, seu contra aliquam legem, et ut ait Div. Thom. (in 4. dist. 15. q. 2. à 4.) illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur. Et ubi non est lex, nec praevaricatio (inquit Apostol. ad Rom. IV. v. 15.) Consonat S. Leo Epist. ad Rusticum, ubi ait, quod in iis, quae vel dubia fuerint, vel obscura (de dubiis strictis intellige), id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis nec Decretis SS. PP. invenitur aduersum. Haec autem omnia habet opinio aequa probabilis, quae solvit, & benignior est in sensu Resolutionis, uti ex dictis, atque dicendis constabit. Et non solum non est contra aliquam legem, sed secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana, quaequidem concurrit tunc, & militat pro opinione christiane benigniore. *Vid. à num. 513.*

Et quod secundum legem facimus, iuste facimus, inquit S. Thomas (in Sum. quaest. 2. ad 2.) Ex his igitur, & aliis dictis, ac dicendis pro supra posita Resolutione, eius doctrina videtur probabilior, inocens, sana, & iusta. Unde qui resolvendo pro directione alterius praeferret opinioni, quae solvit, & est christiane benignior, in sensu Resolutionis, opinionem oppositam ligantem, non tantum de consilio, sed tamquam de lege, vel precepto, iniuste ageret, nam gravaret, imponendo onus grave non debitum ex lege, nec precepto. Vid. a num. 233.

407 Insuper praeferre opinionem, quae solvit, & est christiane benignior, liganti, in sensu Resolutionis, videtur tutius iudicanti, & resolventi pro directione alterius. Siquidem non solum iniuste, & male agit, qui iudicat, vel resolvit nimis laxe, sed etiam qui nimis stricte; non solum qui resolvit, non dari obligationem, ubi datur; sed etiam qui resolvit, dari obligationem, ubi non datur. Dicitur enim in Proverb. (17.): *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, uterque est abominabilis apud Deum.* Et Isai. cap. 5. *Vae qui dicitis bonum malum, & malum bonum.*

408 Atque non solum ex nimia laxitate, sed etiam ex nimio rigore opinandi oriuntur plura, ingentiaque mala. Qui autem fortiter praemitt ubera ad eliciendum lac exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Et S. Cyprianus (Epist. 52. ad Antonian.) inquit: *Si*

*poenitentiam respuamus habentium fiduciam tolleram
bilis conscientiae, statim cum Uxore, cum liberis,
quos incolumes servaverant, in haeresim, vel
schisma, diabolo invitante rapiuntur; & adscribetur
nobis in die iudicii nec ovem unam suaciam
curasse, & propter unam suaciam multas per-
didisse.*

409 Item Gerson (de vit. spirit. part. 3.
lect. 4. collat. 10.) ait: *Fit ut per tales asser-
tiones publicas nimis duras, & strictas, praeser-
tim in non certissimis, nequaquam eruantur ho-
mines a luto peccatorum, sed in illud profundius,
quia desperatius immerguntur.*

Et nota, Gersonium Probabilismo non favere,
dicendo in non certissimis, quia certissimum est,
non licere sequi opinionem minus probabilem,
& minus tutam. Vid. supr. n. 202.

410 Quare Sacra Scriptura, & SS. PP. claman-
tant, & invehuntur, non solum adversus Doc-
tores in suis doctrinis, & opinionibus nimis laxos,
sed etiam adversus rigidos, & nimis strictos. In
Ps. enim 74. dicitur: *Cum accepero tempus, ego
iusticias iudicabo.* Et in Epist. Jacobi (cap. II.
v. 13.): *Judicium sine misericordia illi, qui non
fecit misericordiam.*

411 In utroque enim extremo nimiae scili-
cet misericordiae, benignitatis, & laxitatis, &
nimiae iustitiae, ac rigoris in doctrinis, & opini-
onibus potest esse peccatum. Ad rem S. Ber-
nardus (lib. 2. de consider. circ. fin.) ait: *Quomodo
enim ab altero non periclitetur, aut pietas cle-*

mentiae , aut zeli rectitudo? Turbatus prae ira oculus , clementer nibil intuetur : suffusus fluxa quādam & muliebri mollitie animus rectum non videt . Non eris innocens , si aut punias eū forte parcendum est , aut parcas ei , qui fuerat puniendus.

412 In utroque igitur extremo , & nimiae laxitatis , & nimiae arctitudinis opinandi est peccandi periculum. Tutiū tamen est inclinare in partem benigniorem benignitate christiana ; & hoc ex multis probatur. I. Ex L. Proxime 3. ff. de his. quae in testam. del. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est , quam tutius.

413 II. Ex canon. Alligant. canon. 26. quaet. 7. Melius est de misericordia argui , quam de crudelitate. III. Ex Christom. in Catena dicente: Non est grave pondus imponendum ad poenitentiam venientibus , ne aut reipliant , aut dum sufferre non possunt amplius scandalizentur: deinde si erramus parva imponentes , melius est propter misericordiam reddere rationem , quam propter crudelitatem: non sit dispensator tenax , ubi Paterfamilias largus est: Si Deus benignus , cur Sacerdos austerus? Circa te esto austerus ; circa alios benignus: Audiant te homines parva mandantem , & gravia facientem.

414 IV. Ex Nazianzeno (orat. 26.) dicente: Hortamur Sacerdotes , ut cum poenitentibus leniter agant , ex Apostolo ad Galatas , instruite in spiritu lenitatis. V. Ex Sancto Odilone Abate,

Bb

de quo narratur, quod notatus de nimia benignitate erga poenitentes, respondit: *Si damnatus sim, malo tamen de nimia misericordia; quam ex duritia damnari.*

415 VI. Ex Div. Bonaventura (*de sex alis Serapbin cap. 7.*) ubi instruendo Praelatum, dicit: *Cum ergo non possit semper teneri, quod omnibus placeat, minus tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinet.*

416 VII. Ex S. Joanne á Capistrano (*in suo Speculo conscientiae num. 44.*) dicente: „*Cum tanta est opinionum varietas, ut non possit discerni, quae sit verior, vel communior, nec super hoc reperiatur alias iudicatum, tutius est tenere, quod in mitiorem partem declinat, ut in c. in obscuris, & in cap. Inspicimus, & in cap. in poenis. de regul. Jur. lib. 6.*“

417 VIII. Ex Clemente XIV. in Epistola ad quendam Provincialem, cui inter alia monita, hoc praescribit: *Cogitatione evolve, magis expedire in mansuetudinis, quam severitatis excessum declinare.*

418 Hinc maxime commendatur fuga immisericordiae, & rigoris á Calixto Papa his verbis: *Sententia, quae misericordiam vrat, fratres charissimi, non solum tenere, sed audire fugite; quia misericordia potior est omnibus holocausto matibus.* (apud S. Antonin. in sum. part. 4. tit. 5. de misericordia cap. 18. §. 9.)

419 Et S. Ambros. (lib. 1. de poenitent. cap. 1.) contra immisericordes, & nimis rigidos

nit: Undeliqueret, eos inter Christi Discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur, & cum ipsi quaerant Dei misericordiam, aliis eam denegant.

420 Ex hactenus dictis utar pro conclusione verbis S. Joannis à Capistrano (in suo Speculo conscientiae) sic dicentis: *Ex dictis igitur concludendum videtur, quod quando sunt diversa iuria, & opiniones, non contra divinam legem, neque contra Jus naturale, & bonos mores, humior sententia est praferenda, coeteris paribus. extr. de transact. cap. fin.; alias standum est illi opinioni, quae melioribus rationibus adiuvatur. Vide Prologum num. XVIII. & XIX.*

SECTIO SECUNDA.

Argumenta tum ab auctoritate, tum à ratione dissolvuntur.

ARTICULUS I.

Proponitur, & resolvitur argumentum contra Jura allegata pro Resolutione.

Obiic. I. Leges, Regulae, & alia ex utroque Jure allegata pro Resolutione debent intelligi pro foro externo, & non pro foro conscientiae, iuxta antiquos DD. uti docet P. Corduba, qui scripsit ante Probabilismi ortum: g. perperam de novo contrahuntur, & extenduntur ad forum conscientiae. Resp. neg. ant. propter dicta à num. 297. Et nego quod P. Corduba id sensisset, in sensu contrario propositae Resolutioni; licet in alio sensu illud docuisse. Proposita enim Resolutio tradita videtur à S. Antonino, S. Joanne à Capistrano, B. Angelo à Clavasio, Silvestro, &c., quos Corduba vedit, cum

passim eos allegat, & circa hoc nihil adversus eos dicit; & proculdubio, si contra eos in hoc sensisset, aliquid adversus illorum sententiam pronunciasset.

422 Ut autem hoc magis pateat, aliquantulum in eo immorabor, verbaque adducam ipsius P. Córdubae. Lib. 2. de ignorantia quaest. 3. tres propositiones statuit. Quarum prima est, quando opinio probabilius difinit quod secundum se à parte rei tutum est, & condemnat oppositum, tunc necessario talis opinio tenenda est. Secunda propositio: quando opinio probabilius asserit, & iustificat quod in se non est tam securum, quam eius oppositum, tunc licet sit tutius talem opinionem non sequi; licitum tamen est eam sectari. Tertia propositio: quando opiniones sunt vel creduntur aequae probabiles, semper id, quod videatur minus malum & tutius tenendum est, quando est dubium de peccato mortali.

423 Has tres propositiones probat ibi Pater Corduba, & postea adducit, ac solvit contraria argumenta, incipiendo sic: Contra supradicita, & praecipue contra primam propositionem arguitur primo, &c.: et adducit, ac solvit omnia, vel saltem precipua argumenta, quibus tempore posteriori Probabilistae usi sunt, ad stabiliendum, & sustinendum Probabilismum. Inter ea adducit argumentum obiectum hic num. 421 sequentibus verbis.

424 „ Hostiensis extra de cognat. spirit. v per cap. si vir. dicit, quod ubi sunt di-

„ opiniones , diversaque iudicia semper est fe-
 „ renda humanior , & aequior , & ad idem facit
 „ cap. fin. de transact. & ff. de legibus. L. Be-
 „ nignius. & ibi Doctores. Et quod si una opi-
 „ nio innititur rigori scripto , altera autem scrip-
 „ tae aequitati , praeponitur aequior (ut habe-
 „ tur de rerum permutatione cap. 1. lib. 6.) &
 „ L. Placuit. C. de iud. & Cynus in l. 1. C. de
 „ legibus , & tenet Pan. in Clementina Romani.
 „ in princ. de elect quod tamen fallit in odium
 „ Judaeorum : contra quos rigor praeferetur aequi-
 „ tati. de iudi. c. 2. Et nota , quod dicitur be-
 „ nignior illa , quae favet iuramento , testamen-
 „ to , libertati , matrimonio , religioni , & sa-
 „ cramento , ut est argument. cap. 2. de cogna-
 „ spiritu. & L. sunt personae ff. de religio. &
 „ sumptibus fun. & similiter ea , quae absolvit
 „ est ligante benignior. de reg. iur. c. odia. lib. 6.
 „ & L. Arrianus. ff. de actionibus. & obligatio.
 „ ut etiam refert Silvester tit. opin. quaest. 2.“

425 Ad haec , quae Pater Corduba sibi obii-
 „ cit , respondet ibi sequentibus verbis : „ Ad Hos-
 „ tiensem Respondeo secundum Conradum ubi
 „ supra , quod illud eius dictum habet veritatem
 „ in solo foro exteriori , & quoad personam iu-
 „ dicis debentis iudicare , quia in dubio illo de-
 „ bet iudex potius declinare ad humaniorem , &
 „ benigniorem partem , & aequiorem , quia me-
 „ lius est reddere rationem de nimia misericor-
 „ dia , quam de nimia severitate. Aequitas au-
 „ tem est iustitia quaedam dulzore misericordiae

„ prudenter temperata , secundum exigentiam ca-
„ suum , & circumstantiarum particularium. Sed
„ non est verum in foro conscientiae , saltem quoad
„ ipsum poenitentem , & confitentem. Nam apud
„ talem , ea quae est humanior non est praefe-
„ renda , quia est laxior & minus secura , nunc
„ autem licet non sit semper necessarium sequi tu-
„ tiorem , sed tutam sufficienter , nisi ubi est pe-
„ riculum mortale , seu dubium ; tamen semper
„ consulendum est tutius , & haec tutior opinio
„ communiter est durior , ut de hoc supra ha-
„ betur in resolutione.“

426 Ex hac Responsione Patris Cordubae
desumpta est obiectio num. 421. quod nempe
iura allegata pro supra stabilita Resolutione , in-
telligenda sint in foro externo , & iudiciali ; non
vero in foro interno , & conscientiae ; quod su-
pra impugnatum est à num. 297. Quod autem
Pater Corduba non sit contrarius supra positae
Resolutioni , magis ostenditur ex sequentibus re-
flexionibus.

427 Imprimis est observandum , quod pre-
dicta obiectio , ad quam P. Corduba respondet ,
precipue directa est adversus primam eius pro-
positionem numeri 422. quaequidem propositio
est ista : quando opinio probabilior difinit quod se-
cumdum se à parte rei tutum est , & condemnat
oppositum , tunc necessario talis opinio tenenda est.
Quod idem est ac dicere , quod dum concurrunt
duae oppositae opiniones , & una est tutior , &
probabilior altera , illa tutior necessario est sequen-

da. Contra istam propositionem erat argumentum , nempe , quod opinio benignior , etiam minus probabilis , & minus tuta erat tunc praferenda ex supra adductis textibus Juris. Quamvis autem P. Corduba in sua responce contradicat huic doctrinae , non contradicit Resolutioni num. 262. quia Resolutio non procedit de opinione benigniore minus probabili , sed de aequo probabili.

428 Deinde quamvis P. Corduba loqueretur de opinione benigniore aequo probabili , non contradicit Resolutioni. Argumentum enim intendebat probare , quod opinio benignior semper est praferenda. Haec sunt verba argumenti , (num. 424.) *Hostiensis extra de cognat. spirit. super cap. si vir. dicit , quod ubi sunt diversae opiniones diversaque iudicia semper ferenda est humior &c.* Nota ly *semper.* Haec tamen doctrina in tanta amplitudine est doctrina probabilistica , laxa , & falsa , quare P. Corduba merito ei contradicit. Doctrina vero Resolutionis procedit tantum de opinione aequo probabili benigniore , quia solvit à duro , & ; hoc non semper ; sed solum quando est christiane benignior , quia habet omnes conditiones necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem , & supra assignatas. Sic enim opinio benignior est purgata ab omni iniustitia , & malignitate , estque sana , & iusta : atque in hoc sensu P. Corduba non contradicit Resolutioni. Vid. à num. 129. & 229.

429 Et quoniam dixi, quod doctrina argumenti ad quod respondet P. Corduba, est doctrina *probabilistica, laxa, & falsa*, advertendum est, quod nec Hostiensis, nec iura, quae adducuntur in illo argumento intelligenda sunt in ea amplitudine, qua in eo proponuntur; nam videtur extendi ad opiniones benigniores etiam minus probabiles; quae doctrina est *probabilistica, laxa, & falsa*. Hoc enim est contra omnes Juristas; nam omnes intelligunt allegata iura pro opinione benigniore (absolute loquendo) de opinione aequa probabili, ut constat ex dictis à num. 212. & 229. Et si dicas Probabilismus modernus est, quomodo ergo ante eius ortum potuit esse doctrina probabilistica? Respond. quod fuit moderno tempore ortus, quatenus aliqui Theologi eius doctrinam serio admirerunt, ac propugnarunt; fundamenta autem eius antea, arguendi gratia tantum, in scholis obiiciebantur, ut observari potest apud Cordubam. *Vit. Luminar. Theolog. Moral. tom. 2. Dissert. 7. de Probabilism. part. artic. 1.*

430 Amplius ostenditur, quod Pater Corduba in sua supradicta Responsione non loquatur in sensu contrario Resolutioni; sed in alio diverso sensu. Quoniam, ut ex supra allegatis videtur, Resolutio in re traditur à S. Antonino, à B. Angelo à Clavasio, Silvestro, & quos Corduba sepe allegat, quia eos, quoad hoc impugnet.

431 Deinde, non solum eos non impugnat,
Cc

sed ipsorum doctrinam circa Resolutionem repertere videtur, etiam quoad forum conscientiae. In lib. 3. de conscient. quaest. 13. ait: *Quartus modus generalis deponendi licite conscientiam, dubium & scrupulum, est prudens legum, & scripturarum secundum aequitatem, seu epikeiam moderatio, seu interpretatio, ut ait Florentinus.* Et paulo post dicit sequentia.

432 „Epokeia igitur habet medium inter ius & inter rigorem ipsius iuris, vel legis. Nam ius, seu lex est iusta ordinatio generalis ad communem bonum, ut ait B. Thomas l. 2. q. 90.; rigor autem iuris, vel legis est excessus, sive austeritas iuris aliquoties ad terrorem scriptus; epikeia vero seu aequitas ut supra declaratum est. Dico ergo, quod rigor iuris sequendum non est nisi ubi timetur exemplum mali, & nisi sit rigor scriptus: tunc enim praevalet aequitati non scriptae; aequitas autem scripta praevalet rigori scripto: & non scripta rigori non scripto, secundum DD. in L. Placuit. C. de iudiciis, & Glossa in cap. fin de transactionibus.“

433 „Ideo secundum has regulas *in foro conscientiae, & contentioso* quilibet aequitatem etiam iudex semper habere debet prae oculis. ff. de eo quod certo loco. L. Si Ephesi. & ff. de poenitentia & distinctione 45. cap. disciplina. & distinctione 50. c. ponderet, quia melius est de misericordia, quam de severitate reddere rationem. 26. quest. 7. cap. allegant. quod intelligit Raynerius nisi ex causa iusta aliquando servetur

„ ipse rigor iuris, vel fiat dispensatio. & quia Ju-
 „ ra humana semper & generaliter intendunt cum
 „ misericordia punire, quia derivantur a divino
 „ iudicio & voluntate. Ideo aequitas in ipso rigore
 „ servanda est, quando expedit; etiam in ipso
 „ iure Divino, ut patet Ps. 118. *Omnia manda-*
 „ *ta tua aequitas*, ut glossat Gerson. Item ibidem
 „ *mandata tua facta in veritate, & aequitate*. Ideo
 „ Eccles. 7. *Noli esse iustus multum*. Et 5. Ethi-
 „ cor. habetur, quod epikeia interpretativa legum
 „ est adiuncta iustitiae; & est melior quam iusti-
 „ tia legalis, quae ordinat bonum partium ad
 „ commune bonum totius; quia sine praedicta
 „ epikeia ipsum ius, aut iustitia recte servari non
 „ potest.“

434 „ Igitur secundum hanc virtutem epike-
 „ iae, seu aequitatis possumus praecepta Dei, &
 „ Ecclesiae, & Superiorum in dubiis benigne, dum
 „ modo fiat prudenter, & rationabiliter, attentis
 „ omnibus debitibus circumstantiis, interpretari ad in-
 „ tentionem ipsius legis, seu Legislatoris. & qui-
 „ dem in foro contentioso eius est interpretari cu-
 „ ius est condere, vel sententiam ferre; at vero
 „ in foro conscientiae circa praecepta divina, &
 „ humana ait Angest. ubi supra, quod pertinet
 „ ad quemlibet in facto suo praesertim in mani-
 „ festis & notoriis, & ut ait Florentinus, ubi
 „ supra, etiam in dubiis interpretari, & epikei-
 „ zare, si ipse est doctus, & prudens, & non
 „ prave affectus; alias de consilio doctiorum, &
 „ prudentum, praesertim superiorum potest, &

Cc 2



„debet fieri praedicta epikeia , & interpretatio,
„ut proxime dicetur.“

435 „Sed nota , quod ad debite , & pruden-
„ter epikeizandum leges , & Scripturam Divinam,
„ut ait Florentinus , ubi supra , sunt septem
„doctrinae , vel regulae , quarum prima est,
„quod inter duram , & benignam sententiam , seu
„declarationem paecepti Divini , & humani be-
„nigna interpretatio est semper facienda , accep-
„tanda in dubiis , coeteris paribus ; quod etiam
„asserit Guillel. Et ratio est , quia paecepta
„Dei , & Ecclesiae non sunt , neque intendunt
„tollere omnem spiritualem dulcedinem , qualis
„certe tollitur quando nimis scrupulose , & ti-
„mide paecepta interpretantur.“ Vid. á num. 325.

436 Inst. Pater Corduba , cum Conrado ex-
presse dicit , quod dictum Hostiensis de paefer-
renda opinione benigniore solum est verum in
foro exteriori , & quoad personam iudicis ; non
vero in foro conscientiae : igitur iuxta Conra-
dum , & Cordubam allegata iura pro Resolutione
non debent intelligi in foro conscientiae , &c. Res-
pond. neg. conseq. si recte intelligantur verba Cor-
dubae adducta num. 425. Dicit ibi: *quod illud*
eius (Hostiensis) dictum babet veritatem in solo
foro exteriori , & quoad personam iudicis debentis
iudicare....quia melius est reddere rationem de
nimia misericordia , quam de nimia severitate , &c.
(Nota , quod haec ratio debet valere etiam res-
pectu Confessarii , &c.). Prosequitur Corduba:
Sed non est verum in foro conscientiae , saltem

quoad ipsum poenitentem, & confitentem, id est, non est verum, quod poenitens, seu qui confitetur, teneatur, vel debeat, praeferre opinionem humaniorem, seu benigniorem; cum si voluerit, possit eligere duram, & molestam, ac tutiorem. Et concludit Corduba, dicendo, quod quamvis non sit necessarium, consulatur tutius: *Licet non sit semper necessarium sequi tutiorcm, sed tutam sufficienter.... semper consulendum est tutius; & haec tutior opinio communiter est durior.* Ex quo videtur, doctrinam Cordubae non solum non esse contrariam Resolutioni, sed potius illam confirmare.

437 Replic. Corduba lib. 3. de conscientia quaest. 13. agens de mediis generalibus deponendi conscientiam, loquendo de tertio modo, qui est sollicita, & discreta veritatis inquisitio per se, vel per alios videtur aliter sensisse, ut ex sequentibus eius verbis colligitur.

438 „Quando fuerit dubium de veritate, seu diversitas opinionum, eligatur probabilius, ut de hoc supra q. 5. prop. 2. & superius in lib. 1. de ignorantia q. 3. plenius egimus. Quando est dubium facti, an scilicet, quis sit vere irregularis, aut excommunicatus, & huiusmodi: dic secundum Panorm. in cap. in poenis. de regul. iur. lib. 6. & in c. cum tu filii praepositae de testibus, quod in foro contentioso ubi pure agitur ad poenam, debemus interpretari, & iudicare, quod non est excommunicatus, vel irregularis, aut suspensus: maxime ubi agitur de

„ poena imponenda , utpote quia celebravit , quia
 „ collatio non tenuit , et huiusmodi , quia *in poe-*
 „ *nis mitior interpretatio est facienda* , & mitior
 „ pars est eligenda , & *odia restringi* , favores
 „ autem convenit ampliari . lib. 6. de reg. iur. &
 „ secundnm hoc intelligitur Innocentius ibidem.
 „ *In foro autem conscientiae* é contra debet iudi-
 „ cari , quod scilicet incurrit irregularitatem , ex-
 „ communionem , aut peccatum , & huiusmodi ;
 „ quia in tali foro animae pars tutior est eligen-
 „ da in dubiis , ut dictum est ; licet talis pars sit
 „ durior , quia in sic eligendo nullum est pericu-
 „ lum ; sed potius est periculum , si sic non fiat.
 „ facit cap. significasti . el. 2. de homicidio , &
 „ cap. illud Dominus de clero excommunicato
 „ ministrante . & glos. in cap. unico. de scru. in
 „ ordin. facienda . & idem iudicium est in foro
 „ quasi poenitentiali , & ubi peccatum imminet
 „ ex tali dubio , puta , quia non agitur ad pu-
 „ ram poenam proprie , sed ut ab altaris minis-
 „ terio abstineat , & caveat peccatum , vel á con-
 „ tractu matrimonii dubii , vel ab aliquo agendo ,
 „ seu exercendo , in quo subest peccatum . Et
 „ cum praedictis expresse concordant DD. etiam
 „ Silvestrina , tit. dubium q. 4. Quando autem
 „ est dubium in verbis legis , vel contractus , &
 „ huiusmodi quomodo sit interpretatio facienda ,
 „ vide Silvestrinam tit. dubium q. 5. & tit. lex
 „ q. 16. & 17. & tit. Interpretatio .“

439 Respond. quod ex his nihil colligitur
 contra doctrinam supra stabilitae Resolutionis. In

iis enim solum dicitur , quod in dubiis facti , in foro conscientiae tenenda est pars tutior , licet durior sit. Hoc autem non est adversus Resolutionem ; quia haec non procedit de dubiis facti. Nec de omni dubio iuris , siquidem non procedit de dubio improprio , in quo opinio , quae solvit , est minus probabilis. Nec de omni dubio stricto , & proprio , seu in quo opinio , quae solvit , est aequa probabilis ; sed solum quando opinio aequa probabilis , quae solvit , habet omnes conditiones necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem ; quarum defectu plures huiusmodi opiniones , quae solvunt , non sunt christiane benigniores ; uti sunt quae versantur in aliqua materia , in qua teneri debet opinio tutuior ; atque etiam , quando , quae ligat , est benignior. Neque est benignior opinio , quae solvit (generatim loquendo) quando , si non tenetur quae ligat , datur dubium practicum , quod nequit rationabiliter deponi. Vid. dicta à num. 29. & 229. In diluendo hoc argumento , quod ex Patre Corduba potest sumi , nimis immoratus sum ; quia P. Corduba scripsit paulo ante Probabilis- mi ortum ; proindeque opportet , hoc argumentum diluere , ad ostendendum , ante Probabilis- mi ortum , neminem docuisse doctrinam contra- riā Resolutioni , &c.

ARTICULUS II.

Alia solvuntur argumenta.

440 **O**biiic. 2. *In dubiis tuior pars est eligenda*; sed opinio, quae ligat, seu obligat est tuior, in concursu opinionum aequaliter probabilem, quarum altera ligat, & altera solvit, in sensu Resolutionis: igitur praferenda est tunc opinio, quae ligat ad aliquid faciendum, vel exequendum, &c., & non opinio benignior, quae solvit ab obligatione, &c.

441 Confirmatur: nam SS. PP. semper, constanterque docuerunt, in dubio partem tuiorem esse eligendam, ut testatur Joannes Morinus, antiquitatis Ecclesiasticae solertissimus indagator (lib. 1. de poenit. cap. 5.) qui asserit, quod per undecim saecula, antequam Theologia Scholastica introduceretur, SS. Patres in eo studiose tandem exercuerunt, ut Sacerdotes docerent in casu dubio semper tuiorem partem esse eligendam.

442 Respond. ad arg. dist. mai. in dubiis tuior pars est eligenda, vel de pracepto, vel de consilio, conc: semper de pracepto, neg. mai. Et dist. min. opinio, quae ligat seu obligat in sensu Resolutionis est tuior, respectu iudicantis, vel resolventis dubium pro directione alterius,

neg. ; aliter transeat ; & dist. conseq. est praferenda de consilio , conc. ; tamquam de lege, vel praecepto , neg.

443 Respond. 2. dist. mai. In dubiis tutior pars est eligenda ; quando pars minus tuta non est satis tuta , conc. ; quando est satis tuta , neg. mai. ; & dist. min. in sensu Resolutionis opinio, quae ligat , seu obligat est tutior , & quae solvit est satis tuta , conc. ; & non est satis tuta , neg. minor. Et distin. conseq. Est praferenda de consilio , conc. ; tamquam de praecepto , neg. conseq.

444 Respond. 3. dist. mai. Tutior pars est eligenda in dubiis practicis , conc. ; in dubiis pure speculativis , & absque dubio pratico , neg. mai. Et conces. vel distint. minori , ut supra, distin. conseq. Opinio , quae ligat , seu obligat est praferenda , quando est dubium practicum, conc. ; quando non est dubium practicum , ut accedit , quando opposita opinio , quae solvit , est christiane benignior , neg. conseq.

445 Itaque illud proloquium , & veluti Regula *In dubiis tutior pars est eligenda* , non semper est praeceptum ; sed saepe est consilium. Ita expresse docet S. Antoninus (in sum. part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 9.) his verbis: *Eligere viam tutiorem (interdum) consilii est , non praecepti.* Alias opporteret multos ingredi Religionem , in qua tutius vivitur , quam in saeculo. Deinde debemus semper sequi opiniones tutiores , ut dicebant Tutoristae , seu Rigidistae , quod est falsum.

Dd

446 Est praeceptum , & non merum consilium in dubiis , & opinionibus circa necessaria ad salutem , ad valorem Sacramentorum , & circa alia , quae diximus à num. 243. & generaliter semper & quando datur dubium practicum , si non eligatur opinio tutior ; quia numquam licet operari cum dubio practico , iuxta omnes . Tunc enim opinio minus tuta non est in conscientia satis tuta , ideoque eligere tutiorem est praeceptum .

447 Non est praeceptum , sed merum consilium eligere partem , seu opinionem tutiorem , quando pars , seu opinio minus tuta est satis tuta . Sic quamvis ad valorem Sacramentorum intentio actualis tutior sit , quam virtualis , non tenemur ex praecepto ad adhibendam actualem ; erit tamen sanum consilium . Quia intentio virtualis satis tuta creditur à prudentibus . Sic etiam quamvis tutius sit in Sacramento poenitentiae exponere aliquod grave peccatum vitae praeteritiae , iam prius rite absolutum , quando poenitens post ultimam confessionem , nullum grave peccatum commisit , ut sic dolor efficax melius concipiatur ; ad hoc tamen poenitens non tenetur ex praecepto ; sufficite sola confessio venialium cum sufficienti dolore , ac proposito ; illud vero solum est de consilio .

448 Opinio autem satis tuta est generatim loquendo , quando in eius electione , & sequela non datur dubium practicum , quamvis detur speculativum . Et hoc evenit , quando dantur opiniones directe aequre probabiles , proindeque du-

bium speculativum strictum ; & occurrit reflexe aliqua lex , vel ratio fortior , vel probabilior ex qua rationabiliter , & prudenter expellitur , ac deponitur dubium practicum , quamvis remaneat dubium speculativum directum circa veritatem quae directe inquiritur , ut accidit in pluribus opinionibus probabilioribus reflexe . Nam eo ipso quod sit maior probabilitas , sive directa , sive reflexa , non datur dubium practicum ; quibusdam materiis exceptis , in quibus non sufficit maior probabilitas , sed requiritur securitas , iuxta dicta à num. 243. & à num. 457.

449 Nunc autem , quando in sensu Resolutionis , concurrunt opinio nes aequa probabiles , quarum altera ligat ; seu obligat , & altera solvit , estque dubium strictum speculativum ; si opinio , quae solvit non est christiane benignior , seu non habet omnes conditiones necessariae requisitas ad opinionem christiane benignorem , non est praferenda ; sed opposita , quae ligat , seu obligat , ex illo Proloquo , in dubiis tutior pars est engenda ; quia vel erit in aliqua materia particulari ex illis , in quibus tenendae sunt opinio nes tutiores ; vel saltem erit dubium practicum ex alio capite in quo semper pars tutior est eligenda , de pracepto .

450 Quando vero opinio , quae solvit , est christiane benignior , tunc opinio , quae ligat , solum de consilio est praferenda , non vero de pracepto . Quia tunc opinio , quae ligat non est in aliqua materia particulari , exigente electio-

nem opinionis tutioris ; alias enim tunc opinio, quae solvit , non esset christiane benignior , quia non haberet omnes conditiones ad illam requi-sitas , & asignatas à num. 233. & vide à num. 239. Et à num. 99. & 460.

451 Deinde , quia tunc opinio , quae solvit , est satis tuta , nam est innocens , & iusta: immo est tutior respectu iudicantis , vel dubium resolventis pro directione alterius , quin tunc interveniat dubium practicum ; militat enim pro ea lex misericordiae tamquam lex fortior , iuxta dicta à num. 406. & à num. 258. & 374. 460. Quare tunc opinio , quae ligat , quamvis tutior , non est necessario praferenda à iudicante , vel resolvente pro directione alterius ; sed opposita , quae solvit , propter supra adducta , & adduc-cenda.

452 Respond. 4. ad argumentum num. 440. illud sub eadem forma rectorquendo. *In dubiis tu-tior pars est eligenda* ; sed opinio , quae solvit in sensu Resolutionis est tutior respectu iudi-cantis , vel resolventis , pro directione alterius: g. opinio , quae solvit , est tunc praferenda à iu-dicante , vel resolvente pro directione alterius , ut dicitur in Resolutione. Quod opinio , quae solvit , sit tunc tutior respectu iudicantis , vel resolventis pro directione alterius , probatur ex L. Proxime. 3. ff. de his. quae in testam. del. In re dubia benignorem interpretationem sequi non minus iustius est quam tutius. Item ex aliis adductis artic. 16. à num. 407.

453 Ad argumenti confirmationem num. 441.
ex Joanne Morino, Respondeo, quod in illis pluribus, & antiquis saeculis, antequam Theologia Scolastica introduceretur, SS. Patres, & DD. non solum se exercuerunt in docendo, in casu dubio, tutiorem partem esse eligendam; sed etiam in docendo benignorem partem esse praferendam in dubiis, uti constat ex Regula Juris 56. *Semper in dubiis benigniora sunt praeferrenda;* & ex aliis Legibus, & textibus Juris, & auctoritatibus SS. Patrum, & antiquorum Doctorum, adductis à num. 264. Ut amque enim docuerunt; eligendam esse tutiorem partem in quibusdam particularibus materiis, & generatim, quando alias occurrit dubium practicum, uti dictum est à num. 445. Dum autem in dubiis datur opinio christiane benignior, pro qua militat lex misericordiae, & benignitatis christiana, tamquam lex fortior, tunc docuerunt, opinionem benignorem esse praferendam, propter supra dicta; sic conciliantur textus, & auctoritates Juris, SS. PP. & DD.

454 Obiic. 3. (et potest esse instantia contra praecedentes Responsiones). Clerus Gallicanus in venerando Conventu anni 1700. agens de Regulis in dubiis, & opinionibus observandis, ait: „*Ad rectum usum opinionum aequa probabilium has Regulas à Jure praescriptas agnoscamus.* (N. B. quod Clerus Galicanus Regulas iuris ad forum conscientiae extendit). Primo, ut in dubiis de salutis negotio, ubi aequalia

„ utrinque animose se offerunt rerum momenta , se-
 „ quamur id , quod tutius , seu quod in hoc casu
 „ est unice tutum . Neque id consilii , sed praecepti
 „ loco babeamus , dicente Scriptura : Qui amat
 „ periculum , peribit in illo . Haec prima Regula .“
 Igitur opinio aequa probabilis , quae solvit , non
 est praferenda ; sed opposita , quae ligat , seu
 obligat ad aliquid faciendum , seu exequen-
 dum , &c.

455 Respond. dist. conseq. opinio aequa pro-
 babilis , quae solvit , &c. , non est praferenda ,
 quando ~~est~~ est christiane benignior , neg. Cle-
 rus enim Gallicanus ibi loquitur de dubiis de
 salutis negotio , in quibus opinio benignior , seu
 quae solvit , non est christiane benignior , quia
 non habet omnes conditiones requisitas ad op-
 nionem christiane benignorem . Est enim tunc
 iniusta , & contra bonos mores ; & pro illa non
 militat lex misericordiae , & benignitatis chris-
 tianae . Quare tunc non est satis tuta , sed tunc
 tutior , & unice tuta est quae ligat , proindeque
 est necessario praferenda . Resolutio enim pro-
 posita solum procedit de opinione christiane be-
 nigniore , habente omnes conditiones ad illam re-
 quisitas . Videantur dicta à num. 233. usque ad
 247. Deinde sub opinione tutiore , de qua loqui-
 tur Clerus Gallicanus , comprehenditur benignior ,
 cum tutior sit , iuxta dicta num. 452.

456 Clerus enim Gallicanus solum intendit
 dare , aut praescribere Regulas tutas , quibus
 reprobaretur doctrina nimis laxa , & non satis

tuta Probabilistarum circa electionem opinionum, in quibus rationabiliter datur dubium practicum, non solum in electione opinionum minus probabilium, sed etiam aliquarum aequae probabilium: quare praescribit Regulam, nempe, quod tunc eligenda est tuthor, quaequidem tunc est unice tuta.

457 Et hoc patet, nam Cl. Bossuet in laudato Cleri Gallicani Conventu praescribens Regulas pro dubiis circa leges, & praecepta, inquit: *Qnam praescribat Ecclesia Regulam, cum (N. B.) GRAVIORI ratione tolli dubitatio nequit?* Tunc Ecclesia monet tutiorem nos partem sequi. Idque ipsum docet Cardinalis Aguirre (in suo Opusc. de sacrament. Poenit.) his verbis: *Quoties de dubitatione quaestio est, quae abigi GRAVIORI ratione non potest, tutius est sequendum.*

458 Dum igitur Clerus Gallicanus praescribit Regulam, quod in dubiis debemus sequi partem tuthor, sensus est, quando si non eligatur pars tuthor, datur dubium practicum. Hoc autem datur, non solum in electione opinionis minus probabilis, & minus tutae, sed etiam in electione opinionis aequae probabilis, & minus tutae, quando dubium strictum, quod tunc datur, non potest abigi, & expelli aliqua graviori, seu fortiori ratione, si non directa, saltem concomitanti, vel reflexa. Vid. a n. 99.

459 Quando autem, stante dubio stricto, ob concussum opinionum aequaliter probabilium, occurrit aliqua ratio gravior, seu fortior pro

parte minus tuta , rationabiliter , & prudenter deponitur dubium practicum , potes que eligi opinio minus tuta , alias teneremur sequi Tutiорismum , quodquidem falsum est , ut tenent omnes Theologi , exceptis Tutiорistis . Et hoc non solum quando occurrit ratio directa gravior , & fortior , sed etiam quando occurrit ratio reflexa ; nam eadem militat ratio . Vid. а num. 516.

460 Et quia alias non liceret subditos sectari opinionem sibi directe aequa probabilem , & minus tutam , accidente pracepto Praelati ; nec liceret militi pugnare cum opinione sibi directe aequa probabili , & minus tuta de iustitia belli , accidente Regis mandato ; utrumque autem esset contra communem sententiam DD. asserentium , quod in dubio de iustitia pracepti , Praelati , vel Regis , tum subditus , tum miles obedire possunt , ac debent . Sufficiat , aliis omissis , adducere Div. Augustin. (lib. 22. cap. 75.) dicentem : *Virum iustum , si sub Rege etiam sacrilego militet , recte posse , illo iubente , bellare , si quod sibi iubetur , vel non esse contra Dei praceptum certum est , vel utrum sit , certum non est ; ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi ; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi . Hoc autem licet propter rationem reflexam probabiliorem .*

461 Loquitur igitur Clerus Gallicanus , dum praescribit Regulam Eligendi in dubiis opinionem tutiorem , de dubiis practicis , quae non possunt rationabiliter deponi , ac expelli , quia

pro parte minus tuta nec directe , nec retlexe occurrit lex , vel ratio aliqua fortior , ex qua rationabiliter deponi possit dubium practicum . Tunc enim pars minus tuta non est satis tuta . Dum autem opinio , quae solvit , est christiane benignior , non est dubium practicum eius electione , quamvis sit dubium speculativum . Nam dubium practicum , quod alias resultaret , rationabiliter deponitur ex lege misericordiae , & benignitatis christiana quae tunc militat tamquam lex fortior , pro opinione , quae solvit . Deinde cum haec sit christiane benignior , est simul tutior , respectu resolventis pro directione alterius , iuxta dicta num. 455 . Vide quae dixi in Luminar . Theolog . Moralis Dissert . 6 . de Tutorismo à num . 29 . Vide etiam dicta supra à n . 104 .

ARTICULUS III.

Alia diluuntur argumenta .

462 Obiic . 4 . Eugenius III . cap . Juvenis de sponsal . declarat , nullum fuisse matrimonium , quod Juvenis quidam contraxerat cum consobrina puerae , quam prius idem duxerat , nondum septenem . Et Pontifex rationem asignans , ait : *in his , quae dubia sunt , quod certius existimamus ,*

Ee

tenere debemus; atqui in concursu opinionum ae-
qualiter probabilium, quarum altera ligat, &
altera solvit, datur dubium strictum: g. tunc
tenere debemus partem securiorem, seu tutiorem,
nempe ligantem.

463 Eusebius Amortius (in sua Theologia Ecclesiastica tom. 1. disput. 2. de conscient. qq. disput.) sibi obiicit hunc textum, & respondet distinguendo sic: In dubio de valore matrimonii iam contracti tutior pars est eligenda, conc.; in quovis alio dubio, ubi non agitur de valore matrimonii iam contracti, nego. Pontifex enim in dicto textu testatur, dubium fuisse, an ille iuvenis non iam consumare tentaverit matrimonium cum puella septeni. Unde stante dubio de valore prioris matrimonii, recte illi inveni inhibitum fuit matrimonium cum consobrina puerilae, cum qua matrimonium fuerat attentatum. Sic Amortius.

464 Alia etiam potest praeberi Responsio, neg. conseq. Quia Resolutio proposita procedit de dubio stricto, seu in quo dantur opiniones aequae probabiles oppositae inter se. In casu autem Eugenii, attentis eius verbis, non erat dubium strictum, nam opiniones, seu rationes dubitandi non erant utrimque aequae probabiles, sed una altera probabilius, & certior altera, & secundam hanc dubium resolvit. Ratio est, quia Pontifex ibi ait, *quod certius existimamus, tenere debemus.* Quando autem utraque pars est aequae probabilis, utraque est aequae incerta, nullaque

est certior altera. Igitur si Pontifici tunc una pars, secundum quam dubium resolvit, visa fuit certior; utraque pars non erat sibi aequa probabilis, sed una probabilior, seu certior altera. Resolutio autem procedit in dubio stricto, seu in quo utraque opinio est aequa probabilis. Unde nullum est argumentum. Deinde vid. dicta à num. 212. & à num. 440. atque alia in sequentibus dicenda. Deinde illud erat benignius, ut pote in favorem primi matrimonii.

465 Obiic 5. Clemens V. in Clementina Ex*vobis* de verbis signific. interrogatus de variis, quae circa Regulam S. P. N. Francisci, angebant suos Fratres, sic Respondit: *Nos attendentes, quod in his, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae pars securior est tenenda, &c.*; atqui in sensu Resolutionis pars securior est opinio, quae ligat, seu obligat: igitur ista, & non quae solvit, est praferenda à resolvente tunc dubium, &c.

466 Respond. 1. neg. conseq. quia ibi Pontifex per partem securiorem intelligit partem probabilorem, quae etiam est, & dicitur securior, seu tutior, uti docet B. Albertus Magnus (tratat. 1. de homine quaest. 7. quaestiuula 3.) his verbis: *Duplex est securitas, id est, remotius à falsitate, & remotius à periculo.* Pars enim probabilior est remotior à falsitate, & in hoc sensu est pars tutior, seu securior, ac de ista loquitur ibi Pontifex; non vero de parte securiore magis removente à peccato, id est, tam

formali , quam materiali.

467 Ratio est , quia si Pontifex ibi loqueretur de hac securitate , & non de alia consistente in maiori probabilitate , respondisset , Fratres Minores sub praeecepto obligari ad plura , ad quae respondit eos non obligari , utpote securiora.

468 Dubitabant enim Fratres Minores , an ex vi suae Regulae tenerentur ad omnia ~~propria~~
ta , & consilia Evangelica , ex eo quod in principio Regulae , dicatur : *Regula & vita Fratrum Minorum haec est , scilicet , Domini nostri Iesu-Christi sanctum Evangelium observare , vivendo in obedientia , sine proprio , & in castitate.*

469 Quidam ex Fratribus censebant , & affirmabant , quod ad omnia tenebantur ; alij vero , quod ad sola tria , nempe , ad vivendum *in obedientia , in castitate , & sine proprio* , etiamque ad illa , quae verbis obligatoriis ponuntur in Regula.

470 Pontifex autem ad haec respondit : *Nos....dictae baesitationi duximus respondendum , quod....vovens Regulam non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi , ad ea consilia , quae in Regula non proponuntur.*

471 Item: cum in Regula recursus ad amicos spirituales , ut fratribus in suis necessitatibus provideant , solum concedatur expresse in duobus casibus , nempe , pro necessitatibus infirmorum , pro fratribus induendis ; dubitabant etiam Fratres , an in dictu recursus ad amicos

spirituales, eis dumtaxat liceret in illis duabus necessitatibus; an vero etiam in aliis similibus. Ad hoc autem respondit Pontifex, quod pie, & rationabiliter ad alias similes necessitates Fratrum illud erat extendendum. Nota ly pie, quod in re est benigne.

472 Deinde aliud dubium, & non parum scrupulosa quaestio erat inter Fratres, an nempe tenerentur ad usum arctum, & tenuem rerum; an vero solum ad usum pauperem in Regula expressum. Pontifex autem ad hoc respondit his verbis: *Declarando dicimus, quod Fratres Minores ex professione suae Regulae specialiter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo, seu quo continet, seu ponit Regula dictos usus, &c.*

473 Nunc autem, si Pontifex, dum dixit (supra num. 465.) quod pars securior est tenenda, &c.; loquutus fuisse de parte tutiore, seu securiore, removente non solum à periculo formalí, sed etiam à periculo materiali peccati, respondere debuisset, quod in omnibus illis dubiis propositis, tenebantur ad ea omnia, de quibus dubitabant, cum hoc esset magis remotum à periculo formalí, & materiali peccati, utpote magis securium, seu tutius.

474 Cum autem non ita stricte, & dure respondisset, colligitur, quod per partem securiorem non voluit significare partem removentem à periculo tum formalí, tum materiali peccati; sed so-

lum partem probabiliorem, quae securior est parte minus probabili, & removet saltem à periculo formalis peccati, ut contra Tutoristas tenent Probabilioristae. Vid. num. 466. Resolutio autem solum procedit in concursu opinionum aequaliter probabilium; non vero quando una est probabilius altera.

475 Immo forte in his Responsionibus Pontifex, aliquam praebuit secundum opinionem aliquam directe aequa probabilem, solventem ab obligatione, & christiane benignorem; in sensu Resolutionis, iuxta Juris Canonici doctrinam, v.g. ex Regul. 30. in 6. *In obscuris minimum est sequendum*: vel ex Regul. 15. in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*: vel ex aliis adductis à num. 264. Et quidem rationabiliter, nam tunc opinio aequa probabilis christiane benignior, est reflexe rationabilior, & probabilior practice. Ad hocque non nihil alludere videtur, illa Pontificis Responsio numeri 471. quod nempe recursus Fratribus Minoribus concessus ad amicos spirituales non solum sit pro illis duabus necessitatibus ibi expressis, sed quod etiam pie, & rationabiliter ad alias similes necessitates Fratrum extendiendus erat. Vid. dicta n. 460.

476 Respond. 2. ad argum. dist. min. in sensu Resolutionis opinio, quae ligat, seu obligat, est pars securior, respectu operantis secundum illam, conc.; respectu iudicantis, vel resolventis pro directione alterius, neg. min. & conseq. Cum enim non solum in solvendo ab obligatione, sed

etiam in obligando possit esse peccatum, dum circa utrumque est dubium, tutius est tunc iudicanti, vel resolventi pro directione alterius, si locum habeat christiana misericordia, solvere ab obligatione, quam ligare, & obligare ad grave onus; quemadmodum tutius est reum in dubio absolvere, quam illum condemnare. Vid. dicta a num. 406.

477 Obiic. 6. Ex cap. *veniens* de Presbitero non baptizato, seu lib. 3. Decretal. tit. 43. cap. 3. ubi dicitur: *Nos in hoc dubitandi casu, quod tutius est sequentes, &c.* Igitur in casu stricte dubio, de quo procedit Resolutio tutius est sequendum, ideoque non est praferenda opinio, quae solvit, sed opposita, quae ligat, utpote tutior.

478 Respond. neg. conseq. quia ut iam dictum est, opinio, quae tunc solvit, est tutior iudicanti, & resolventi pro directione alterius. In praedicto autem casu Resolutio Pontificis fuit tutior, simulque specialiter benignior, utpote in favorem Sacramentorum, in quorum materia tenenda est pars tutior, ac benignior. Opposita igitur Resolutio non esset christiane benignior, quare non esset satis tuta, ideoque avertenda. Vide a n. 438.

479 Obiic. 7. Innocentius III. cum Episcopus Magdeburgensis excommunicasset Hildesiensem Episcopum suae iurisdictioni non subiectum, eo quod relicta Ecclesia Hildesiensi transierit ad Heribolensem, in cap. *Illud Dominus. 5. de clericis*



excommunicato. improbat obstinationem Episcopi Hildesiensis, celebrantis in excommunicatione. Rationem asignat Pontifex: *Quia in dubiis via eligenda est tutior:* igitur, &c.

480 Ad hoc argumentum Eusebius Amort in quadam quaestione respondet distinguendo sic: *Via tutior est eligenda in dubio iuris circa valorem excommunicationis à Summo Pontifice latae, conc.*; *in dubio conscientiae quocumque, neg.* In dicto enim casu Episcopus Magdeburgensis tulerat excommunicationem auctoritate Apostolica in Episcopum Hildesiensem, cui id iam privata notitia innotuerat. Dubitabat tamen de valore excommunicationis, quia non fuerat ter monitus. Haud dubie tamen in dubio de valore excommunicationis datur obligatio se gerendi pro excommunicato, cum pro valore excommunicationis stet praesumptio. Sic Amortius. Vide num. 215. & 438.

481 Aliter tamen Respond. neg. conseq. In dubio enim stricto de valore excommunicationis illius, opinio pro eius valore, ac proinde obligatione obstinendi à celebrando erat *specialiter benignior*, ideoque preferenda in resolutione illius dubii, quia erat in favorem, & reverentiam Sacramenti, ac rerum sacrarum, & religiosarum, iuxta dicta à num. 212. Quare opposita opinio non erat christiane benignior, nec tutior, nec preferenda. Opinio autem, quae solvit, & est preferenda in sensu Resolutionis, debet esse christiane benignior.

482 Eadem Responsio potest praeberi ad aliud

argumentum quod potest fieri ax cap. *Significasti*, ubi dicitur: *In dubio hoc tamquam homicida debet baberi Sacerdos*, *et si forte homicida non sit*, á *Sacerdotali officio abstinere debet*, *cum in boccasu cessare sit tutius quam temere celebrare*, *pro eo quod in altero nullum*, *in reliquo magnum periculum timeatur*.

483 Similis Responsio potest praeberi ad illud, quod obiici potest ex cap. *Petitio tua*, ubi dicitur, *Mandavimus*, *quatenus si de interfectione cuiusquam tua conscientia te remordeat*, *á ministerio alteris abstineas reverenter*, *quum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere*, *quam temere celebrare*.

484 In his enim, & similibus casibus est periculum irreverentiae sacramenti, & rerum sacra-
rum, ac religiosarum. Quare opinio, quae obli-
gat ad abstinentiam à celebratione, est speciali-
ter benignior, ac proinde tunc praeferenda, iux-
ta dicta á num. 212.

485 Obiic. 8. Clemens III. dum quidam Pres-
byter ira percuteret puerum, & cultellus é vagina
fortuito elapsus, puerum laetaliter vulnerasset, in
capite ad *audientiam*, respondet: *Cum in dubiis
semitam debeamus eligere tutiorem*, *bic convenit*,
ut in sacris Ordinibus non ministret g. &c.

486 Eusebius Amortius (in sus Theolog. Ec-
lect. tom. 1. dip. 2. de conscient. qq. disput.
quaer. 5.) ad hoc respondet, quod teneri de-
bet sententia tutior in foro externo, antequam
dubium facti fuerit examinatum; non vero in fo-

Ff

ro interno , aut externo post sufficientem discussionem circa dubium facti. Et quod in dicto casu Clemens III. testatur, dubium facti , an ille puer laethaliter vulneratus , ex vulnere per actionem illicitam , sine debita cautela causato , an vero ex infirmitate obierit , nondum fuisse debite examinatum. Nam dicit: *Si ex alia infirmitate , poterit divina ministrare.* Proinde aequum erat , ut de homicidio voluntario in foro externo acusatus, interea usque ad plenam discussionem à divinis abstineret. Haud dubie autem in hoc ipso casu, si Actor non probaret crimen , & malitiam Praesbiteri , in dubio Reus in foro externo est absolvendus. Haec Amortius.

487 Sed alia potest praeberi Responsio , nempe , quod in illo dubio pars tutior erat specialiter benignior , utpote in favorem sacramenti , & rerum sacrarum , ac religiosarum ; proindeque erat praeferenda , iuxta dicta num. 484.; non vero opposita , quae licet solveret , non erat christiane benignior.

488 Obiic. 8. Clemens XIII. in suo Decreto anni 1761. prohibuit Thaeses quasdam in Episcopatu Tridentino publicae disputationi expositas, quarum una propositio erat ista: *Licet sequi (opinionem) aeque probabilem pro libertate , relicta aeque probabili pro lege;* sed si praeferenda esset opinio aeque probabilis , quae solvit , in sensu Resolutionis , liceret sequi opinionem aeque probabilem pro libertate , relicta aeque probabili pro lege. Igitur &c.

489 Respond. 1. Retorque. argum. in eisdem Thaesibus prohibitis, sic in principio legitur: *Probabilismus noster versatur circa haec tria. Licet sequi Prababilorem (opinionem) pro libertate, relictā minus probabili pro lege, &c.*: igitur haec propositio etiam fuit prohibita in prohibitione dictarum Thaesium? Igitur prohibitus est Probabiliorismus?

490 Respond. 2. neg. min. in sensu Probabilistarum, & conseq. Haec enim propositio, in dictis thaesibus prohibita, *licet sequi (opinionem) aeque probabilem pro libertate, relictā aeque probabili pro lege*, prohibita est in sensu nimis laxo Probabilistarum, quorum laxa doctrina plenae erant illae thaeses, ideoque opportunum visum fuit Pontifici, absolute illas prohibere; non tamen omnes propositiones in illis contentae fuerunt prohibitae in omni sensu. Hoc patet, quia illa propositio: *Licet sequi probabilorem (opinionem) pro libertate, relictā minus probabili pro lege*, non fuit prohibita in sensu, in quo tenetur a Probabilioristis contra Tutoristas.

491 Similiter igitur illa propositio, *licet sequi (opinionem) aeque probabilem pro libertate, relictā aeque probabili pro lege*, prohibita est in sensu nimis laxo Probabilistarum, quorum plures docuerunt absolute, & absque debitiss limitationibus, ac restrictionibus dictam propositionem, quae in tanta amplitudine continet doctrinam, & nimis laxam, & falsam. Non vero prohibita est in dictis thaesibus doctrina tradita in Resolutio ne circa

opinionem aequa probabilem benignorem praeferebant oppositae aequa probabili durae, & odiosae.

492 Ratio est, quia Resolutio non procedit de quacumque opinione aequa probabili benigniore; & quae utcumque liberat ab obligatione legis; sed solum de opinione aequa probabili, & christiane benigniore, seu habente omnes conditiones necessario requisitas ad illam; quarum defectu quamplurimae opiniones aequa probabiles, quamvis solvant, non sunt christiane benigniores. Quae autem illas habent, & sunt christiane benigniores, non solvunt contra bonos mores, seu contra aliquam legem; non sunt malignae, seu non continet doctrinam non sanam; sed sanam, & iustum, ut supra probatum est. Quare doctrina resolutionis de praeferenda opinione benigniore, non est prohibita in dictis thesesibus; sicut non est prohibita doctrina Juris, quod nempe, opinio, aequa probabilis in favorem Rei est praeferenda, iuxta dicta a num. 264. Vid. etiam num. 460. nam prohibitae non sunt opiniones aequa probabiles de milite, &c.

493 Inst. 1. communiter dicunt DD. quod in dubio legis standum est pro lege, & contra libertatem: g. &c. Respond. 1. Retorq. argum. in opinione aequa probabili in favorem Rei. Respond. 2. dist. ant. In dubio legis standum est pro lege, & contra libertatem, quando pro libertate occurrat altera lex fortior, neg.; aliter transeat. In sensu enim Resolutionis, & in dubio stricto, quod tunc

datur contra legem exigentem observantiam opinionis durae tamquam de precepto, occurrit pro libertate lex misericordiae & benignitatis christiana, tamquam lex fortior, & praevalens. Quare tunc standum est pro libertate, & contra legem minus fortem exigentem sui observantiam: sicut in dubio, in quo datur opinio aequa probabilis in favorem Rei, & pro eo militat, tamquam lex fortior, lex misericordiae, & benignitatis christiana, resolvitur pro Rei libertate, & contra legem rigorosae iustitiae. *Vid. à num. 351. 362. 374.*

494 Inst. 2. Talis lex misericordiae, & benignitatis christiana non est vera lex: igitur in veritate nulla lex militat tunc pro libertate, & conseq. ruit solutio. Prob. ant. lex vera inducit obligationem, nam ut inquit Div. Thom. (1. 2. q. 30.) *Lex dicitur à ligando, quia obligat ad agendum;* sed illa lex misericordiae, & benignitatis christiana, quae militare dicitur pro opinione, quae solvit, non ligat, seu obligat, nam operans licite potest, ea relicta, sequi oppositionem duram, & ligantem, & Confessarius potest eam consulere: igitur &c.

495 Respond. neg. ant. ad cuius probat. dist. min. lex misericordiae, & benignitatis christiana in aliquo sensu non obligat, conc.; in nullo sensu obligat. neg. min. & conseq. Non obligat quidem operantem, nam cum opinio, pro qua militat lex iustitiae tutior sit, potest quidem quis in praxi, relinquere opinionem benigniorem, quae

solvit, & sequi oppositam duram, & ligantem, hācque potest quis alterius consulere. At vero lex misericordiae, & benignitatis obligat Iudices, ad iudicandum secundum opinionem benignorem, ut patet in Reo, quando pro se habet opinionem aequae probabilem benignorem. Tunc enim secundum illam debent iudicare, & Reum absolvere. Similiter Confessarii, & alii Theologi, quamvis possint consulere opinionē ligantē, et duram, si tamen pro directione alterius resolvant circa obligationem gravem sequendi in conscientia opinionem ligantem, & duram, tenentur ex lege misericordiae, & benignitatis christianaee resolve-re, non dari obligationem ad eius observartiam, propter supra dicta. In hoc igitur sensu obligat lex misericordiae, & benignitatis christianaee, & hoc sufficit, ut sit vera lex ligans, & obligans.

Vtd. dict. tract. 1. de leg. dub. q. 1. n. 3.

496 Obic. 9. Varia prodierunt Decreta Episcoporum, Synodorum, & Superiorum Religiosorum Ordinum, quae praecipunt, quod in praxi eligantur opiniones probabiliores, si tales videantur; si autem aequae probabiles appearant, eligantur tuiiores: g. &c.

497 Respond. quod decreta huiusmodi prodierunt ad relegandam doctrinam nimis laxam, & non satis tutam Probabilistarum. Unde intelligenda sunt in sensu contrario doctrinae Probabilistarum, id est, quod non est tutum sequi opiniones minus probabiles, & minus tutas; neque est satis tutum sequi opiniones aequae probabiles

& minus tutas absolute, & indiferenter, atque sine exceptionibus debitis, prout docebant Probabilistae. Nam non solum in electione opinionis minus tutae, & minus probabilis intervenit dubium practicum, & peccati periculum; sed hoc etiam communiter intervenire solet in electione opinionis aequa probabilitate, & minus tutae. Quare eligendae sunt tutiores opiniones in sensu contrario doctrinae Probabilistarum.

498 Non vero intendunt dicta Decreta reprobare electionem omnis opinionis minus tutae. Si quidem non intendunt reprehendere electionem opinionis aequa probabilitate, licet minus tutae, satis tamen tutae; neque quando in illius electione non invenitur dubium practicum. Neque intendut reprehendere praferentiam opinionis aequa probabilitate benignioris in sensu Resolutionis, sicut neque aliarum benigniorum, de quibus Jura loquuntur. Vid. dict. a num. 212. & 460.

ARTICULUS IV.

Prosequitur solutio argumentorum.

499 **O**biiic. 10. (*Omnia, quae in hoc articulo obiciuntur sunt cuiusdam domestici Theologi*): Opinio benignior, quae solvit in sensu propositae Resolutionis, stat pro libertate, pro commode,

atque pro humanis affectibus: g. non est christiana benignior, sed maligna, proindeque reiicienda. Resp. 1. Retorq. argum. in pluribus opinionibus magis probabilibus, & minus tutis, stantibus pro commodo, & libertate, & solventibus ab obligationibus duris ieiunandi, &c.

500 Respond. 2. dist. ant. Opinio benignior, quae solvit in sensu Resolutionis, stat pro libertate, pro commodo, & humanis affectionibus contra aliquam legem, seu per aliquam legem prohibitum, neg.; non prohibitum, & per legem misericordiae, & benignitatis christiana concessum, vel permissum, conc. ant. & neg. conseq. *Vid. à num. 232.*

501 Ait enim Apostol. (ad Rom. 4. 15.): *Ubi non est lex, nec praevaricatio* Et S. Thom. (in 4. dist. 15. q. 2. à 4.) *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibitur.* Et L. Necon. ff. ex quibus. caus. *Omnia sunt permitta per legem, quae prohibita non inveniuntur.* In sensu autem Resolutionis opinio benignior, quae solvit, non solvit contra aliquam legem; solvit enim secundum legem misericordiae, & benignitatis christiana, quae pro illa tunc militat, tamquam lex fortior, & praevalens, habetque omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benigniorem, unde, &c.

502 Inst. 1. Opinio christiane benignior semper stat pro bono honesto, pro virtute, pro mortificatione, nam *arcta est via, &c.* Igitur opinio, quae solvit, &c., in Resolutionis, non *sensa*

est christiane benignior , &c.

503 Respond. dist. ant. opinio christiane benignior semper stat pro bono honesto , pro virtute , pro mortificatione , tamquam de paecepto , vel tamquam de consilio , con. ; semper tamquam de paecepto , neg. ant. & conseq. Si enim omne honestum , virtuosum , & sensibus asperum esset nobis paeceptum , prohibiti nobis essent cibi , & potus delicati , ludi omnes etiam innocentes , atque honestae recreaciones , et non darentur opera supererogationis , ac omnes tenerentur virginitatem servare , contra illud Apostoli (ad Coriath. VII. v. 25.). **De virginibus paeceptum Domini non habeo : consilium autem do.** Et Hieronymus (adver. Jovinian.) inquit: *Ubi consilium datur , offerentis arbitrium est ; ubi paeceptum necessitas est servientis.*

504 Christiana enim Religio arcta quidem est , & sensibus dura multa praescribit , quia *arcta est via , quae dicit ad vitam.* (Math. VII. v. 13.). Veruntamen non omnia sunt paecepta ; plura enim non sunt nisi consilia. Stricta quidem est , atque austera christiana Religio ; sed non absque suavitate , dulcedine , ac benignitate. Dicitur enim in Ps. (XXIV. v. 10.) *Universae viae Domini misericordia , & veritas (seu iustitia).* Et Christus (Math. XV. v. 30.) dixit: *Iugum meum suave est , & onus meum leve.* Atque Joannes (1. 5.) *Mandata eius gravia , non sunt.*

505 Et hoc non solum , quia quae in eis dura sunt , amanti sunt suavia ; sed etiam quia

non omnia sunt praecepsia, & quia Dei mandata admittunt interpretationes benignas, rationabiles, & prudentes, secundum legem misericordiae, & benignitatis christianaee.

506 Ita S. Antoninus (in sum. part. I. tit. I. cap. 10. §. 10.) his verbis: *Non solum autem dicitur impossibile, quod absolute non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem epikeiae in Lege Nova, esse impossibile, quod vix est possibile, utpote nimiam habens difficultatem. Alias enim quomodo salvaretur illud: Onus meum leve?*

507 Et loco supra adducto num. 323. docet, quod inter duram, & benignam sententiam, benigna interpretatio est facienda. Et rationem assignans, ait: *Quia praecepta Dei, & Ecclesiae non fiunt, neque intendunt tollere omnem spiritualem dulcedinem, qualis certe tollitur, quando nimis scrupulose & timide praecepta interpretantur.*

508 Inst. 2. Jus naturae praecepit bonum honestum: g. &c. Resp. neg. ant. loquendo de omni bono honesto, propter dicta à num. 18. Deinde misericordia, quea militat pro opinione, quae solvit, tamquam lex fortior, in sensu Resolutionis, etiam est de iure naturae, iuxta illud Nazianzeni (orat. 16. de pauper. cura): *Naturae est humanae, quae compassionem lege statuit, pietatem, & humanitatem ex aequali imbecillitate didicit.*

509 Inst. 3. Ex doctrina Resolutionis commodum creaturae praeferuntur Dei obsequio, quod ip-

si praestaretur operando iuxta opinionem duram; sed praeferre obsequium Dei commodo creaturae non est consilium, sed praeceptum: g. &c. Prob. min. quia non praeferre obsequium Dei commodo creaturae est postponere Deum creaturae; sed non postponere Deum creaturae est praeceptum: g. &c. Vid. supr. à n. 356.

510 Respond. 1. Retorq. argum. in supra-dictis operibus meri consilii adductis num. 503. In quibus praeponeretur commodum creaturae obsequio Dei, postponereturque Deus creaturae. Nam qui non servaret virginitatem propter nuptias, praeponeret proprium commodum obsequio Dei, postponereturque Deum proprio commodo, &c.

511 Respon. 2. neg. min. nempe, quod praeferre obsequium Dei commodo creaturae, semper sit praeceptum; siquidem si ita esset, non darentur opera supererogationis, & meri consilii, ut dictum est num. 503. quodquidem est falsum, ut ibi ostensum est, & num. 510. Et similiter neg. min. probationis, in sensu Resolutionis; quia tunc non praefertur commodum creaturae obsequio Dei contra praeceptum Dei, nec contra Dei voluntatem; sed secundum Dei benignam voluntatem; quia tunc Deus non vult, creaturam ex praecepto obligari ad praestandum illud obsequium ipsi Deo, qui sacrificiis, & obsequiis nostris non idiget, & est dives in misericordia. *Si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* (Job. XXXV. v. 6.) Et Math. IX. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Vid. dicta à nnm. 251.

512 Inst. 4. Si ita esset, Deus tunc non vellet obsequium virtutum moralium, quod est falsum: g. &c. Resp. neg. sequel. Solum enim sequitur, quod tunc Deus non vellet illa opera, & obsequia virtutum moralium obligare ex pracepto; non vero quod non velit de consilio. Et quando in Resolutione dicitur, quod preferenda est opinio, quae solvit non asseritur, quod opposita non sit tenenda; solum enim dicitur, quod opinio opposita, quae ligat, non est eligenda de pracepto; non vero quod non sit eligenda de consilio. Vid. dicta num 247.

ARTICULUS V.

Alia propulsantur argumenta.

513 **O**biiic. II. Nulla opinio aequa probabilis, quae solvit, est christiane benignior: g. nulla est preferenda liganti, seu obliganti. Prob. ant. opinio christiane benignior non debet esse contra bonos mores, seu contra aliquam legem; sed omnis opinio, quae solvit, etiam in sensu Resolutionis, est contra aliquam legem, nempe, contra illam, quae militat pro opposita opinione, quae ligat, seu obligat: g. &c.

514 Respond. neg. ant. & min. probat. cum

conseq. Ratio est, quia proprie loquendo, illa opinio solvit contra bonos mores, seu contra aliquam legem, quae solvit iniuste, seu cum iniuria alterius legis fortioris, & ligantis; non vero quando opinio solvit ex aliqua lege fortiori. Opinio autem, quae solvit in sensu Resolutionis, solvit ex lege misericordiae, quae pro illa tunc militat, tamquam lex fortior. Quare iuste solvit, & absque iniuria alterius legis minus fortis, unde non solvit contra bonos mores, seu contra aliquam legem. Et retorquo in opinione in favorem Rei. Vid. à num. 374.

515 Inst. 1. Opinio, quae solvit in sensu Resolutionis saltem solvit contra legem prohibentem operari cum dubio; atqui tunc datur dubium proprium, & strictum, cum dentur opiniones oppositae, & aequae probabiles: g. &c. Respond. neg. mai. & dist. min. tunc datur dubium speculativum, conc.; practicum neg. Lex autem, quae prohibet operari cum dubio debet intelligi de dubio pratico; non de pure speculativo, & absque pratico, ut accidit in sensu Resolutionis.

516 Inst. 2. Tunc non solum datur dubium speculativum, sed etiam practicum: g. Responsio non tenet. Prob. ant. Ex dubio speculativo resultat practicum: g. &c. Respond. 1. Retorq. argum. in opinione aequae probabili benigniore in favorem Rei: tunc est enim dubium strictum speculativum, & si argumentum teneret resultaret dubium practicum in electione talis opinionis, & Reus tunc non posset licite absolvi, quodquidem

falsum est. Et retorq. in dubio de iustitia belli, vel praecepti, uti num. 460.

517 Respond. 2. neg. ant. ad cuius probat. dist. ant. ex dubio speculativo resultat practicum, quando non occurrit aliqua ratio saltem probabilior, & sufficiens ad deponendum rationabiliter dubium practicum, conc. ; quando occurrit huiusmodi ratio , neg. ant. Patet in dubio speculativo stricto , quando dantur contrariae , & aequae probabiles opiniones circa innocentiam Rei. Tunc enim non resultat dubium practicum ex speculativo , quia deponitur per leges , & rationes superiores reflexas , ex quibus tunc Reus debet absolvi. *Vid. à num. 212. & n. 460.*

518 Similiter in dubio stricto , quod datur in concursu opinionum contrariarum , & aequae probabilitum , quarum una ligat , & altera solvit, in sensu Resolutionis. Ex illo enim dubio speculativo directo non resultat dubium practicum, quia reflexe occurrit ratio saltem probabilior , ex qua rationabiliter deponitur dubium practicum, quod alias resultaret. Ratio superior , quae tunc occurrit , est lex misericordiae , & benignitatis, quae tunc militat pro opinione , quae solvit, tamquam lex fortior, ac praevalens. Ac deinde pro illa militant caeterae rationes pro Resolutione aductae , quae saltem probabiliores videntur. *Vid. à num. 104. Et quae dixi in Luminar. Dissert. 2. & 3. tom. 2.*

519 Inst. 3. Opinio , quae solvit in sensu Resolutionis est contra Deum: g. contra divinam

legem, & contra bonos mores, & consequenter non est christiane benigna, nec praferenda liganti, seu obliganti. Prob. ant. Talis opinio, quae solvit, privat Deum obsequio, quod ipsi praestaretur à creatura, observando opinionem ligantem: g. &c. Resp. neg. ant. & conseq. Opinio enim, quae solvit, licet privet Deum obsequio, quod ipsi praestaretur, observando opinionem ligantem, non est contra Deum, quia non est contra Dei voluntatem. Praesumitur enim, propter supra dicta, Deum ob suam misericordiam, tunc nolle obligare creaturam ad illud obsequium sibi praestandum. Vid. dicta num. 511.

520 Inst. 4. Opinio, quae solvit in sensu Resolutionis est adversus illam legem intimatam in 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis;* quia non custodit nimis Dei mandatum, qui in dubio stricto de eius obligatione illud non custodit: g. opinio huiusmodi est contra bonos mores, & non est christiane benigna, nec praferenda.

521 Resp. 1. Retorq. argum. nam tunc concurrit etiam lex misericordiae, & benignitatis christiana, quam non custodiret nimis qui resolvens pro directione alterius, in dubio stricto de obligatione, non praferret opinionem, quae solvit, sed obligantem, imponendo obligationem, onus, & gravamen proximo absque misericordia, contra praeceptum misericordiae.

522 Respond. 2. neg. ant. quia in sensu Resolutionis sunt duo mandata dubia, seu duae leges in dubio de obligatione: una militans pro

opinione obligante, nempe rigorosa iustitia. Altera militans pro opinione solvente, nempe, misericordia, aut benignitas; & haec concurrit tamquam lex fortior; quare qui istam tunc eligit in resolutione pro directione alterius, custodit Dei mandatum benignitatis, & misericordiae erga proximos. Vid. num. 377. & num. 387.

523 Inst. 5. Quamvis de Deo Supremo Legislatore, ac infinite misericorde praesumi possit, ipsum velle sua mandata benigne exponi in dubio, & opinionem benignorem praeferri a iudicantibus dubia; hoc tamen non potest presumi de Legislatoribus humanis. Nam lib. 2. Reg. 24. dicitur: *Coarctor nimis; sed melius est, ut incidam in manus Domini (multae enim misericordiae eius sunt) quam in manus hominum.* Et **S.** Celsus dicitur: *Mitius agitur cum lege, quam cum hominibus.* Igitur, &c.

524 Respond. neg. ant. nam ut supra probatum est, datur lex misericordiae, & benignitatis generalis, & universalis, data proinde omnibus hominibus, & consequenter Judicibus, Confessariis, ac Doctoribus, decidentibus, ac resolventibus dubia circa leges, & praecepta, in quorum decisionibus, ac Resolutionibus observare debent illam legem misericordiae, & benignitatis christiana, ubi haec locum habeat. Ergo prae sumendum est etiam de Legislatoribus humanis, ipsos velle hanc legem observari circa suas leges, & circa sua praecepta; & consequenter suas leges, suaque precepta benigne exponi, atque

opiniones benigniores praeferri, dum pro illis militet lex misericordiae, & benignitatis christiane.
Vid. dict. à num. 351.

ARTICULUS VI.

Reliqua diluuntur argumenta.

525 **O**biiic. 12. In dubio stricto de voto (vel iuramento) obligat votum: g. in dubio stricto de existentia legis, seu quando lex est stricte dubia quod existentiam, lex obligat. Resp. dist. ant. In dubio stricto de voto iam emisso, con.; in dubio stricto de emissione voti, seu an votum sit emiissum, neg. ant. & similiter dist. conseq. Quando votum (vel iuramentum) fuit emissum, & circa eius obligationem oritur dubium strictum, absolute loquendo obligat; vel quia votum est in possessione; vel quia opinio pro voto (vel iuramento) est benignior, & praeferenda. Vid. dicta à num. 208. Et in *Luminar. Theolog. Moral. tom. 2. Dissert. 5. de leg.* Quando autem dubium est circa emissionem voti (vel iuramenti) absolute loquendo non obligat, uti tenent plures DD. quos allegat Ligorius lib. 1. cap. de conscientia dubia. Quia votum (vel iuramentum) est instar legis particularis, quam quisque sibi imponit. Unde sicut lex stricte dubia quoad existentiam non obli-

Hh

gat , ut probatum est á num. 84. Ita votum (vel iuramentum) stricte dubium quoad eius emissionem non obligabit. Omnis enim obligatio probari debet: et probari debet , probando existentiam legis (vel praecepti); quia , ut inquit Paulus , *peccatum non cognovi nisi per legem*: *Et ubi non est lex , nec praevaricatio*. In dubio autem stricto de existentia legis , vel voti (vel iuramenti) non probatur existentia legis , nec voti , nec iuramenti; quia tunc probatio est stricte dubia: & *stricte dubia probatio non dicitur probatio* , inquit *Glossa in cap. in praesentia*. Igitur in dubio stricto de existenti voti (vel iuramenti) non est obligatio ad votum (nec iuramentum) sicut nec ad legem stricte dubiam , quoad existentiam , in sensu Resolutionis. Confir. Ex Div. Thoma *quod lib. 14. de veritate* , dicente: *nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*. Et ex Cap. Ex parte 18. ubi ait Glos. *In dubiis liberum est sequi quod magis placuerit*. Et Reg. Jur. Civ. 20. *Quoties dubia interpretatio libertatis est , secundum libertatem respondendum est*. Igitur si non in omnibus , saltem in his , & similibus.

526 Obiic. 13. Ex doctrina Resolutionis , se queretur , quod in dubio stricto , an aliquis mortaliter peccaverit ; an teneatur confiteri peccatum dubie commissum ; an certo commissum , iam confessus fuerit ; an confessio facta fuerit valida , deberet Confessarius resolvere , poenitentem tunc non peccase mortaliter ; non teneri confiteri peccatum dubie commissum ; neque certo commissum , in

dubio, an illud confessus fuerit; & confessionem dubie validam, dubio stricto, non esse repetendam, neque revalidandam; sed haec omnia sunt contra communem sententiam DD. igitur doctrina Resolutionis est reiicienda.

527 Prob. sequela, nam praedicta dubia sunt stricta, quia argumentum est de dubiis, in quibus utrimque dantur rationes aequae probabiles, oppositae, & contrariae opiniones, quarum altera ligat, & altera solvit ab onere obligationis; & tunc, iuxta doctrinam Resolutionis, opinio, quae solvit, est christiane benignior, ac praferenda liganti: g. &c.

528 Respond. neg. sequel. Quoad primum dubium, an quis mortaliter peccaverit, est dubium facti, de quo non loquitur Resolutio proposita; & cum sit dubium strictum, seu in quo dantur utrimque aequales rationes, & oppositae, non potest intellectus rationabiliter resolvere pro aliqua parte; & correspondet rationabiliter suspensio iudicij circa utrumque partem, *absolute loquendo*; cum tunc nulla occurrat ratio ad iudicandum potius quod quis peccavit, quam quod non peccavit, nam ad utrumque sunt rationes aequales.

529 Dixi *absolute loquendo*, quia saepe ex circunstantiis subjecti potest rationabiliter resolvi, vel quod peccavit, vel quod non peccavit. Si enim Persona dubitans est scrupulosa, vel timorata, praesumitur regulariter, saltem rationabilius, seu probabilius, quod non peccavit. Ab opposito

autem , si persona est laxae conscientiae , & quae in peccata gravia solet consentire , tunc praesumitur regulariter , iuxta communem sententiam DD. quod in dubio peccavit. Nam *assueta fieri*, *facile praesumuntur*. L. Certi. conditio. 3. si nūmus. Sed in his circumstantiis personae iam reflexe non est dubium strictum , & proprium ; sed improprium , & latum ; quia tunc dictae resolutiones sunt probabiliores , seu ex rationibus probabiliорibus. Quando vero est dubium strictum, eo quod rationes sunt aequales pro utraque parte , non est ratio aliqua ad resolvendum rationabiliter , quod quis peccavit , vel non peccavit , sed suspendendum est iudicium.

530 Quoad 2. dubium , an , *poenitens teneatur confiteri peccatum dubie commissum dubio stricto*, Respondeo , neg. quod ex Resolutione deberet resolvi , non esse obligationem illud confitendi. Nam resolutio procedit de opinione aequa probabili , quae solvit , & est christiane benignior. In dubio autem obiecto datur duplex dubium, unum facti , & est dubium illud an peccatum fuerit commissum. Et quamvis hoc dubium sit strictum propter rationes contrarias aequales; Resolutio tamen non procedit de dubiis facti, prout dictum est iam num. 528. Ex hoc dubio facti oritur alterum dubium , quod est iuris , nempè: an sit obligatio confitendi illud peccatum dubium. Hoc autem dubium iuris non est strictum , quia rationes oppositae ad dubitandum non sunt aequales , seu non sunt opinio-

nes aequae probables. Opinio enim , si aliqua est, negans illam obligationem confitendi illud peccatum , est improbabilis , & proinde non est christiane benignior , nec praferenda ex doctrina Resolutionis.

531 Ad 3. & 4. Dubium similiter Respond. quod peccatum certo commissum , de quo strictum dubium datur , an fuerit iam clavibus subiectum ; vel an confessio facta , de cuius valore datur strictum dubium , sit repetenda , & revallanda , certo debet clavibus subiici , certoque confessio est repetenda , absolute loquendo (nisi ex particulari aliqua circumstantia praesumatur , quod peccatum illud fuit clavibus subiectum , vel quod confessio facta valida fuerit). Unde quod peccatum illud non debeat clavibus subiici , nec confessio illa repetenda , non est aliqua opinio aequae probabilis , nec christiane benignior in sensu Resolutionis , quare ex Resolutione illud non sequitur , sicut dictum est numero praecedenti.

532 Obiic. 14. Ex Resolutione sequentur plures nimis laxae Resolutiones , nimirum in dubio stricto , an die Jovis sonuerit hora duodecima nocturna ; an quis 21. annum expleverit , an hodie sit vigilia , &c. deberet Confessarius , vel alter resolvens pro alterius directione , resolvere , quod stante illo dubio stricto , non esset obligatio abstinenti a carnibus , nec ieiunandi , &c.: g. &c.

533 Respond. neg. sequel. Dubia enim obiecta

sunt dubia facti nondum debite examinati , in quibus resolutio minus tuta est periculosa , ideoque datur dubium practicum . Quare ad rectam resolutionem debet prius fieri debitum examen videndo Kalendarium , &c. , vel interrogando Sapientes . Alias non sit debitum examen , nec est prudens Resolutio ; sed imprudens , & periculosa , ac cum dubio pratico , nisi eligatur pars tutior . Resolutio autem non procedit de huiusmodi dubiis facti , & cum dubio pratico , cum quo nec licet operari , nec resolvere minus tutum . Vid. à num. 549.

534 Obiic. 15. *In dubio melior est conditio possidentis , seu prout dicit Regula Juris 65. In pari delicto , & causa potior est conditio possidentis ; sed in concursu opinionum aequa probabilitum , quarum altera ligat , & altera solvit , lex illa , ex qua una obligat est in possessione : g. &c. Resp. 1. Retorq. argum. in concursu opinionum aequaliter probabilem , quarum altera est in favorem Rei , & altera in oppositum.*

535 Respon. 2. dist. min. lex ex qua tunc una opinio obligat , est in possessione dubia , conc. ; in possessione certa , neg. Cum enim opinio , quae tunc ligat ; & opinio , quae solvit , sint aequa probabiles , ambae leges , quae pro illis respective militant , probabiliter , & dubie possident ; nulla nutem possessione certa . In dubio autem stricto standum est pro opinione benigniore , & haec praferenda , nam pro illa militat tunc lex misericordiae , tamquam lex for-

tior ; quemadmodum praeferatur opinio aequa probabilitis in favorem Rei , quia benignior , &c. Quod possessio debet esse certa, ostendi in *Luminar. Theolog. moral. tom. 2. Dissert. 5. n. 643.*

536 Obiic. 16. Ex doctrina Resolutionis se queretur , quod lex dubia non obligaret , in sensu Probabilistarum , & sic liceret sequi Probabilismum : igitur doctrina Resolutionis est laxa , falsa , & non sana , proindeque reiicienda. Respond. neg. sequel. Probabilistae , enim dicunt , legem esse dubiam , quando in oppositum est opinio etiam minus probabilis , & consequenter tunc licere sectari opinionem minus probabilem , & minus tutam , cum hoc non sit contra legem aliquam certam. Haec autem doctrina valde laxa est , & falsa ; nam certitudo moralis imperfecta , seu maior probabilitas de legis existentia sufficit ad veram legem vim obligandi habentem , iuxta dicta in primo tract. huius Dissertationis quaest. 5. & in *Luminar. Theolog. moral. tom. 2. dissert. de legib.*

537 Resolutio autem non procedit de opinione minus probabili , sed de aequa probabili , quae solvit , & est christiane benignior ligante. Et quamvis sit benignior non est laxa ; quia proprie loquendo doctrina , vel opinio laxa est quae legem relaxat transgrediendo iustos terminos , & limites legis , qualis est doctrina Probabilistarum , quae benignitatem in opinando extendit usque ad opiniones minus probabiles. Doctrina autem Resolutionis non continet hanc la-



xitatem , & falsitatem , quia solum procedit de opinione aequa probabili christiane benigniore , quae ut supra dictum est , non est contra bonos mores , seu contra aliquam legem , sed secundum legem misericordiae , & benignitatis christiana . Quare nec est laxa , nec falsa , nec non sana , cum nihil contineat malignitatis , nec falsitatis , & sit iuste benignior . Quinta medietas est benignitas , sive nemesis , quae nihil habet malignitatis , sed homo vult bonum alii homini , & opportet , quod haec ratio hominem dirigat , inquit S. Bonaventura (in Luminar . Eccles . n . 5 .) . Et Div . Thomas (in Epistol . ad Timoth .) ait : *Sana doctrina est , quando non habet admixtam falsitatem* Vid . supr . n . 322 .

538 Inst . 1 . saltēm sequeretur ex doctrina Resolutionis , quod lex dubia non obligaret in sensu Probabilistarum , dum opiniones essent aequa probabiles : igitur , &c . Respon . neg . ant . quia neque respectu opinionum aequaliter probabilium doctrina Resolutionis continet amplitudinem , & laxitatem doctrinae Probabilistarum . Doctrina enim Resolutionis datur cum pluribus exceptionibus , restrictionibus , ac limitationibus , quibus non restringitur , nec coarctatur doctrina Probabilistarum , circa opiniones aequa probabiles . Nam doctrina Resolutionis restringitur ad opiniones aequa probabiles , quae solvunt , & sunt christiane benigniores , seu habent omnes conditiones , necessario requisitas ad opinionem christiane benignorem , & assignatas à num . 233 .

quarum defectu plures opiniones aequae probabiles, quae solvunt, non sunt christiane benigniores.

539 Deinde ex hac doctrina restricta Resolutionis haec propositio *lex dubia non obligat resstringitur ad legem stricte dubiam quoad existentiam, & dummodo opinio aequae probabilis de non existentia legis, sit christiane benignior, seu habeat omnes conditiones necessario requiritas ad opinionem christiane benigniorem, prout supra dictum est in prima part. huius Dissertationis quaest. 5. a num. 60. & a n. 253. & 392. Doctrina autem Probabilistarum datur absque his limitationibus; quare est nimis laxa; non vero doctrina Resolutionis tot limitationibus restricta, & coartata. Vid. dict. tract. 1. num. 70. & seg.*

540 Inst. 2. ad sustinendam doctrinam praedictae Resolutionis fit recursus ad reflexiones probabilisticas: g. aliquid continet doctrinae probabilistiae, & laxae. Respond. neg. ant. Fit quidem recursus ad reflexiones; sed non ad probabilisticas irrationalibus, sed ad alias rationabiles.

541 Reflexiones enim Probabilistarum sunt super fundamenta Probabilismi, quod *lex dubia non obligat, quod in dubio melior est conditio possidentis, &c., in quibus plura falsa inmisercentur; & omnia illa nec seorsim, nec simul constituant aliquam probationem sufficientem ad deponendum dubium practicum, quod intervenit in praxi doctrinae probabilistiae. Cum enim*

fundamentum reflexionum Probabilistarum falsum, & irrationabile sit, irrationabiles, ac falsae etiam sunt illorum reflexiones, ut ostendi in *Luminar. Theolog. Moral. tom. 2. dissert. de Probabilismo.*

542 Reflexiones autem, quae pro doctrina Resolutionis fiunt, sunt rationabiles, fundatae in utroque Jure, in SS. Patribus, & antiquis Theologis, & in talibus rationibus, ut doctrina Resolutionis saltem probabilior videatur. Atque similes reflexiones inveniuntur in antiquis Docteribus, qui antequam Probabilismus oriretur, scripserunt, atque etiam in aliis posterioribus, ut iam ostendo.

543 Ex Antiquis Bartholomaeus Fumo in sua *Aurea Armilla*, verb. *Opinio*, ait: *Ad conscientiae securitatem non sufficit, quod sint, qui doceant partem minus tutam esse licitam, si operans ambiguus maneat; nec ullo modo directae aut INDIRECTE formet bonam credulitatem de honestate operis.* Ubi ly *indirecte* satis innuit aliquam reflexionem. Ex modernis clare hoc traditur à Cl. Eusebio Amortio, cuius verba adduximus num. 90. Deinde ad similares reflexiones fit recursus in dubio de iustitia belli, vel mandati, uti n. 460.

544 Obiic. 17. Ex Div. Thom. (quolib. 3. art. 15.) dicente: *Omnis quaestio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.....principie autem periculum est, ubi veritas ambigua est, quod in praesenti quaestione accidit; nam procedit in con-*

cursu opinionum oppositarum, & aequaliter probabilium, proindeque tunc veritas dubia, & ambigua est: igitur periculose determinatur in Resolutione, quod opinio benignior, quae solvit, sit praferenda liganti.

545 Respond. 1. Retorq. argum. posito eodem ant. Igitur periculose determinabitur oppositum, nempe, quod opinio, quae ligat, seu obligat, sit praferenda solventi. Nam cum non solum in solvendo, sed etiam in obligando possit esse iniustitia, atque peccatum, & veritas tunc ambigua, & dubia sit, etiam periculose determinabitur tunc, quod opinio, quae ligat, seu obligat, praef. renda sit solventi. Retorq. 2. in opinione aequa probabili benigniore in favorem Rei. & in milite, & subdito, uti n. 460.

546 Respond. 2. disting. & explic. Div. Thom. Omnis quaestio, in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, &c. ante prudens, ac debitum examen, conc.; quia determinatio huiusmodi esset imprudens, & cum periculo errandi, proindeque cum dubio practico; post prudens, ac debitum examen, subdist. nisi habeatur expresse veritas directa speculativa; vel veritas reflexa, & practica, conc.; veritas speculativa directa, praecisse, & necessario, neg.

547 Itaque veritas est duplex. Una directa, & speculativa, & est illa, quae in quaestione directe inquiritur. Altera vero est reflexa, & practica, & est illa, quae dum veritas directa speculativa non invenitur, quia utrimque inve-

niuntur opiniones oppositae , & aequo probabili-
tate directe ; inquiritur reflexe in ordine ad pra-
xim ad resolvendum practice dubium rationabili-
ter , & prudenter . Vid. sup. n. 128.

548 Veritas speculativa directa appareat , quan-
do per inquisitionem circa illud , quod directe
inquiritur , invenitur veritas certo , vel magis
probabiliter . Maior enim probabilitas est quaedam
veritas , & certitudo moralis , uti ostensum est
a num. 41 . Veritas autem reflexa , & practica
tunc appareat , & habetur , quando non apparente
veritate directa speculativa , quia ob concursum
opinionum oppositarum , & aequo probabilium
datur obscuritas , & oculta manet , invenitur re-
flexe aliquod principium certum , vel aliqua ratio
saltem probabilior , & sufficiens ad resolvendum
rationabiliter , & prudenter , ac practice illud
dubium , pro illa parte , pro qua invenitur illud
principium certum , vel illa ratio saltem probabi-
lier , & sufficiens ad prudentem illam resolutio-
nem . Vid. n. 460.

549 Quando Igitur Angelicus Doctor ait ,
Omnis quaestio , in qua de peccato mortali agitur ,
nisi expresse veritas habeatur , periculose determi-
natur , &c. , sensus est , quando quaestio , vel
dubium resolvitur , vel determinatur ante pru-
dens , ac debitum examen , sive resolutio fiat se-
cundum opinionem solventem , sive ligantem ; cum
tam in solvendo , quam in ligando possit esse
iniustitia , atque peccatum , & in utraque reso-
lutione , in dubio stricto , & veritatis obscuritate

sit periculum errandi , ac peccandi in materia gravi , nam *qui amat periculum , peribit in illo* (Eccle. 3.)

550 Requiritur enim ad resolutionem rationabilem , prudentem , & non periculosam , quod in dubiis praemittatur examen prudens , iuxta qualitatem dubii , & quod resolutio non fiat à Judicibus , & Doctoribus , quin prius ex examine appareat expresse veritas , vel speculativa directa , vel reflexa , & practica , uti dictum est.

551 Id ipsum nitide docet noster Subtilis Doctor (in 3. dist. 25. quaest. 1. D. n. 8.) his verbis: *Bene videndum est in moralibus , antequam aliquid asseratur ; quia videlicet cum babens duas opiniones perplexus sit , periculose se determinat ad unam , nisi re diligenter inspecta , eligeret probabiliorem.* Hoc autem intelligi debet de probabiliore directe , vel reflexe , ut quando opiniones sunt directe aequae probabiles ; reflexe tamen aliqua est probabilior , quia pro illa appetet reflexe aliqua ratio probabiliior. Et hoc evenit in praesenti , nam pro opinione quae solvit , in sensu Resolutionis , appetet ratio saltem probabilior reflexe , iuxta dicta à num. 406. Et Vid. n. 460.

552 Inst. 1. Tunc datur periculum transgressionis legis praecipientis partem duram , & *qui amat periculum , peribit in illo* (Eccle. 3.): g. &c. Respond. 1. Retorq. in opinione aequae probabili in favorem Rei. Retorq. 2. Tunc datur periculum

transgrediendi legem misericordiae , & benignitatis christianaे , quae tamquam lex fortior militat pro opinione , quae solvit ; si ita postposita præferatur opposita opinio , quae ligat: g. &c. Et Vid. n. 406.

553 Respond. 2. dist. ant. Tunc datur periculum transgressionis materialis legis , &c. , conc. ; datur periculum transgressionis formalis legis, neg. Tunc enim opinio , quae solvit , est probabilius reflexe ; quare in eius præferentia rationabiliter procedit iudicans , vel resolvens pro altero , & absque dubio pratico ; quare tunc licet datur transgressio materialis legis , non tamen datur transgressio formalis ; sicut non datur in electio- ne aliarum opinionum magis probabilium , abso- lute loquendo , & in opinione aequa probabili in favorem Rei. Et in casibus n. 460.

554 Inst. 2. Tunc intellectus non potest ra- tionabiliter assentiri opinioni , quae solvit , cum sit tantum aequa probabilius: g. &c. Respond. 1. Retorq. Tunc intellectus non potest rationabiliter assentiri opinioni , quae ligat , cum sit tantum ae- que probabilius: g. &c. Retorq. 2. in opinione ae- que probabili in favorem Rei: & circa iustitiam belli , &c. Vid. supr. num. 460.

555 Respond. 2. dist. ant. Tunc intellectus non potest rationabiliter assentiri opinioni aequa- tantum probabili , quae solvit , *quoad eius verita- tem directam speculativam* , conc. ; *quoad eius ve- ritatem reflexam* , & *practicam* , subdist. quando opinio , quae solvit , non est christiane benignior,

& pro illa reflexe non militat aliqua ratio reflexa, saltem probabilior; conc.; quando est christiane benignior, & pro illa militat reflexe ratio saltem probabilior, neg. Militat enim tunc pro illa lex misericordiae, & benignitatis christiana tamquam lex fortior; ex qua potest intellectus rationabili- ter assentiri opinioni, quae solvit, licet non quoad veritatem directam speculativam; bene vero quoad eius veritatem reflexam, & practicam, propter supra dicta. Vid. dicta à n. 374.

556 Inst. 3. Per nullas reflexiones potest tunc tolli dubium, & formido de illicitate in praefendo opinionem aequa probabilem, quae solvit ab obligatione gravi oppositae opinionis ligantis: g. &c. Respond. 1. Retorq. in opinione aequa tantum probabili in favorem Rei; & pro iustitia belli, &c. n. 460.

557 Respond. 2. dist. per nullas reflexiones potest tunc tolli dubium, & formido de illicitate materiali invincibili, conc.; de illicitate formalis, & vincibili, neg. Alias enim non posset tolli dubium, & formido de illicitate formalis, & vincibili in absolvendo Reum, in cuius favorem datur opinio aequa probabilis; neque in electione opinionis magis probabilis, & minus tutae, absolute loquendo, & teneremur sequi Tutiormanum, quod quidem est falsum. Deinde vide n. 460.

558 Inst. 3. Saltem tunc non poterit haberi iudicium moraliter certum de licitate electionis illius opinionis, necessario requisitum ad licite operandum: g. &c. Respond. 1. Retorq. in elec-

tione opinionis aequa probabilis , & benignioris in favorem Rei. Respond. 2. neg. ant. nam datur ratio reflexa saltem probabilior pro opinione , quae solvit , & est directe aequa probabilis et per illam rationem reflexam , potest , iuxta supra dicta , expelli dubium practicum , & haberi iudicium moraliter certum de licitatem electionis , & operationis , ex eo quod , absolute loquendo , moraliter certum est , licitum esse agere , & operari secundum opinionem notabiliter probabiliorem , etiam minus tutam , ut exceptis Tutoristis , tenent coeteri Theologi. Vide dicta à num. 104. 108. & 460. Et quae dixi in *Iuminar. Theolog. Moral.* tom. 2. Dissert. de Tutorismo , & Dissert. de Probabilismo , & praesertim à num. 424.

559 Finem iam impono praesentia Dissertationi de Benignitate in opinando , cuius Advocatum egi ; non vero Judicem , nec perfecte Resolutorem ; quia ab ultimata , & perfecta resolutione de eius Theologica , & predicta probabilitate abstineo , prout dixi in prologo num. XVIII. & XIX. Omnia à me hic (vel alibi) dicta censurae , & correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae , veritatis Columnae , humillimo , ac libentissimo animo submitto. Si loquendo de benignitate opinandi , erravi , ignorantias meas ne memineris Domine: Tu enim miserator , & misericors es , ac misericordiarum Pater. Si aliqua recte dixi à Te sunt , à quo bona cuncta procedunt. Tibi sit honor , gloria , laus , & benedictio , cum Spiri-

tu Sancto , ac Filio tuo Jesu-Christo , qui in Eucharistico Sacramento nobiscum esse voluit usque ad consumationem mundi: Dei etiam Genitrici , Virginis Mariae: Beato Michaeli cum omnibus Angelis: SS. Parentibus meis Francisco , & Dominico: Thomae , & Bonaventurae , atque Advocato meo , Eucharistico Sancto Paschali , cum omnibus Sanctis. Amen.

INDEX

rerum magis notabilium, quae in hoc
libro continetur.

Omnes numeri sunt marginales.

A

Amor initialis: requiritur ad valorem sacramen-
ti poenitentiae. á. num. 254.

B

Benignitas, quid sit? num. 119. Benignius idem
est ac humanius; humanius autem non est idem,
ac rationabilius. á. num. 278. Vid. *Misericordia*:
Opinio benignior.

C

Maior probabilitas est quaedam certitudo mora-
lis. num. 127. Judicium moraliter certum de lici-
tate actionis quando, & quomodo potest dari
cum dubio speculativo á. n. 106. & 558. Vid.
Incertum.

D

Deus: non denegat gratiam facienti quod est in
se. num. 96. Non indiget sacrificii nostri. á. n. 357.
Est infinite bonus, ac misericors. n. 352. Est
Legislator benignior omni humano Legislatore. á.
n. 352. A Deo derivatur benignitas humanarum
legum. á. n. 354. Deus magis pronus est ad mi-
sericordiam quam ad rigorosam iustitiam. á. n. 362.

In hoc debemus Deum imitari. à n. 364 Ita do-
cent SS. PP. & DD. à n. 365. Melius est redde-
re Deo rationem de misericordia, quam de cru-
delitate. à n. 411. Vid.

Doctrina Probabilismi est nimis laxa, & nimis
benigna n. 538. Non licet docere doctrinas minus
probabiles, & minus tutas. à n. 156. Neque ex
bono fine ibi. *Doctrina sana qualis sit?* n. 537.

Dubium quid sit? n. 61. Aliud strictum, & pro-
prium, & aliud latum, & impro prium. n. 62. Hu-
ius dubii distinctio, ac discretio commendatur ad
tollendas aequivocationes ibi. Ex dubio speculati-
vo non semper resultat practicum. n. 104. Opti-
mum consilium est scire dubitare de ignoratis
n. 345. Operari cum dubio pratico est illicitum.
n. 102. In dubiis tutior pars est eligenda expli-
catur. n. 111. & seq. & 440. non. semper est
praeceptum, sed interdum tantum de consilio.
ibi. In dubio melior est conditio possidentis. n. 78.
& seq. Dubia probatio non est probatio. n. 83.
& 92. & 404. & 534.

E

Excellentia specialis misericordiae super alias vir-
tutes. à n. 388. Non vero super veritatem, si haec
apparet. n. 153. & 157.

F

*Foras externus, & internus aliquando diffe-
runt, & aliquando non.* à n. 298. Quando non
differt valet argumentum de uno ad alterum fo-
rum. n. 299.

Kk 2

G

Generalis dispositio omnes species sub se contentas comprehendit. n. 290.

H

Humanius non est idem ac rationabilius. à n. 278.

I

Ignorantia invincibilis excusat. n. 95.

Incertum: Certa pro incertis dimittenda non sunt. n. 82.

Interpretatio, quid sit? á n. 43. Regulae pro legum interpretatione. à. n. 47.

L

Lex quid sit á n. 1. Et quotuplex á n. 7. *Naturalis*, & positiva in quo differunt? n. 15. Obiectum legis naturalis á n. 16. *Lex alia favorabilis*, & alia odiosa à n. 24. *Affirmativa*, & *negativa*. n. 25. *Lex misericordiae*, & *benignitatis*. n. 375. *Lex* debet esse certa á n. 87. Quod agitur contra legem semper est malum, explicatur n. 93. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. n. 166. Ubi non est lex, nec praeveratio. n. 103. Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur. n. 103.

Lex dubia stricte, & late n. 63. *Lex dubia* quoad existentiam, & quoad extensionem á n. 64. *Lex dubia* quoad extensionem quando obliget, & quando non. n. 67. *Lex dubia* quoad existentiam quando obliget, & quando non. á

n. 72. Aequivocatio notabilis Probabilistarum quoad legem dubiam. n. 107.

Legis promulgatio n. 28. Quaenam legis promulgatio sufficiat? á n. 29.

Legis interpretatio quid sit? á n. 43. Regulae pro legum interpretatione á n. 47.

Leges aliquae prae aliis fortius obligant, & quaenam sint á n. 55. In concursu legum, quae invicem videntur opponi, quaenam sit observanda. n. 53.

Licitum est, quod nulla lege prohibetur. n. 103.

M

Misericordia quid sit? n. 113. Est duplex, una carnalis, & iniusta; & altera christiana, & iusta. n. 116. & 161. & seq. Vera & iusta non impedit consilium rationis n. 114. Melius est reddere rationem de misericordia, quam de crudelitate. n. 411. & seq. Misericordiam volo, & non sacrificium á n. 356. Deus magis pronus est ad misericordiam, quam ad rigorosam iustitiam. á n. 362. In hoc debemus Deum imitari. á n. 364. Ita docent SS. PP. & DD. á n. 365. Immisericordiae fuga commendatur. n. 418. & seq. Vid. *Benignitas: Deus: excellentia misericordiae: lex: Veritas.*

N

Necessitas: quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. n. 166. Necessitatis casus qualis dicatur. n. 165.

O

Obligatio omnis probari debet. n. 92.

Occisio hominis quo sensu licita sit principibus. n. 169.

Opinio tutior quando est necessario tenenda de praecepto. á n. 243. Quando de consilio. n. 111. & seq. & 440. In dubiis tutior pars est eligenda, explicatur. ibi.

Opinio Benignior: In opinando non solum vendicat sibi locum iustitia, sed etiam misericordia & benignitas á n. 122. Benignitas in opinando non extendit se ad opiniones minus probabiles. n. 131. Nec ad omnes opiniones aequae probabiles. n. 129. ibi. Opinio benignior quid sit? n. 208. Alia est carnalis, & iniusta; & alia christiana, & iusta n. 209. Opinio christiane benignior quid sit? n. 210. Resencentur opiniones, quae in Jure vocantur benigniores specialiter, si sunt aequae probabiles. á n. 212. Etiam opinio, quae solvit est benignior ligante, & quo sensu á n. 217. Non est tamen benignior specialiter, sed tantum generaliter. á n. 223. Non omnis opinio, quae solvit, est christiane benignior ligante. á n. 229. Solum est christiane benignior, quae habet omnes conditiones requisitas ad opinionem christiane benignorem á n. 231. Assignantur istae conditiones á n. 233. Assignantur Regulae ad cognoscendas opiniones christiane benigniores á n. 239. In particulari non possunt assignari omnes istae opiniones, nec pro omnibus á n. 248. Opinio aequae probabilis negans existentiam legis interdum est christiane benignior á n. 253. Opinio aequae probabilis, quae solvit, si est christiane benignior, liganti

est praeferenda á Judice, & á resolvente pro directione alterius in foro conscientiae á n. 262. & 297. Allegantur leges, Regulae, & textus Juris: á n. 264. Allegatur S. Ambrosius á n. 307. Et S. Gregorius Nazianzenus n. 308. S. Cirillus. n. 309. S. Leo Papa n. 310. S. Isidorus n. 311. S. Raimundus de Peñafort n. 312. S. Antoninus Patavinus n. 313. Div. Thomas n. 314. Div. Bonaventura n. 315. Scotus n. 316. & seq. Nicolaus de Lyra n. 318. Durandus n. 319. Prologus antiquarum Constitutionum Ordinis Praedicatorum. n. 321. S. Antoninus à n. 323. S. Bernardinus à n. 331. S. Joannes à Capistrano à n. 334. B. Angelus à Clavasio à n. 339. Silvester à n. 343. Fumo n. 348. Navarro à n. 349. Quod opinio benignior sit praeferenda videtur de mente Supremi Legislatoris á n. 351. Et quia pro illa militat lex misericordiae tamquam lex fortior à n. 374. & 380. Et quia alias obligaret lex stricte dubia quoad existentiam ex praecisa ratione talis, contra communem sententiam DD. á n. 395. Et quia hoc videtur probabilius á n. 406. Textus Juris, & auctoritates, quae obiciuntur, explicantur á n. 462. Quamvis opinio benignior stet pro commodo, & libertate, non est contra aliquam legem, sed secundum legem misericordiae n. 493. & à n. 499. & á n. 515. Nec est contra Deum. n. 519. Opinio christiane benignior non est laxa. á n. 536. Vide *Benignitas*: *Deus*: *Dubium*: *Lex*: *Misericordia*: *Rigor*. *Veritas*.

P

Probabilismus docet doctrinam nimis laxam, & nimis benignam. n. 538. Non licet docere doctrinas, & opiniones minus probabiles, & minus tutas à n. 146. Neque ex bono fine ibi. Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. n. 151. 167. 173. Ex duobus malis minus est elendum, explicatur. n. 174.

Probabiliorismus non inducit intrincationem, nec perplexitatem à n. 178. Maior probabilitas est quae-dam veritas, & certitudo moralis. n. 127.

Probatio dubia non est probatio. n. 83. & 92. & 404. 534.

Q

Quaestio omnis, in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, explicatur. à n. 200. & à n. 544.

R

Rigor in opinando minus plura mala aferit à n. 408. Non solum est malum opinari nimis laxe, sed etiam nimis rigide à n. 407. In utroque extremo malum est n. 411. & seq. Scriptura, & PP. reprobant etiam nimium rigorem. n. 410.

S

Severitas quid sit. n. 120. & seq.

T

*Tutiores opiniones semper sunt sequendae in ali-
quibus materiis, & casibus* à n. 243. In dubiis
tutior pars est eligenda, explicatur n. 111. &
seq. & 440.

Veritas: Universae viae Domini misericordia, & veritas à n. 124. Veritatem non tenent, qui misericordiam, ubi vere est, non agnoscit. n. 126. Omnis quaestio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur à n. 200. & à n. 544. Veritas alia speculativa, & alia practica à n. 546. Veritas est super omnia à n. 153. & 157.

Votum in dubio stricto obligat, & quare. n. 525

CATALOGOS

de los Subscritores, ó Personas que han subscrito
al Tomo de Benignitate in opinando.

EN MADRID.

- | | |
|--|-------------------------------------|
| D. Juan Francisco de Molina y Morillo. | R. P. Fr. Ramón de San Antonio. |
| R. P. Fr. Ramón de Jesús, | D. Francisco Ramirez de la Piscina. |
| R. P. Fr. Andres de S. Josef. | D. Manuel de Mendilibar. |
| Dr. D. Juan Agustin Garcia. | D. Domingo de Orue. |
| D. Josef Ortega y Monroi, | D. Pablo Pedro Tardío. |
| D. Fr, Josef Joaquin Michel. | D. Juan Diego Duro y Solano. |
| D. Francisco Diez Catalan,
por quatro exemplares. | D. Josef Salvador Plegaman. |
| D. Leandro Aragues. | D. Gabriel Constantin. |
| D. Andres Gayoso, | D. Lorenzo Gomez. |
| R. P. Fr. Andres Leon. | R. P. Fr. D. Bernardo Arriaga. |
| D. Eusebio Calbo Palanco. | D. Juan Bautista Mendoza. |
| D. Josef Medina. | D. Josef Julian Garcia. |
| R. P. Fr. Josef de la Concepcion. | R. P. Fr. Diego Sanchez Pöleo. |
| D. Juan Ramón de Recarte, | D. Ruiz y Lopez. |
| D. Martin de Zayas. | Dr. D. Josef Palos. |
| D. Juan Bautista Lasarte. | D. Feliz de Zepeda y Pardo. |
| R. P. Fr. Joaquin Cimbra. | R. P. Fr. Ambrosio Lopez. |
| D. Crisóstomo Josef Garcia. | R. P. Fr. Lorenzo de Madrid. |
| D. Romualdo Ramirez. | D. Nicolas Palacios de Albarado. |
| D. Bonifacio Lopez. | D. Josef Antonio Navarro. |
| D. Manuel Felipe Varela. | D. Joaquin Antonio Barros. |
| D. Manuel Arebalo. | D. Salvador Escobano, |
| D. Domingo Mariano de Santiesteban. | R. P. Fr. Pio Ruiz. |
| D. Genaro Perez. | |
| D. Josef de Parada y Otazo. | |

- D. Josef Espriella.
 D. Ramón Elias de Jungaitu.
 D. Ramón Mendez y Rodriguez.
 R. P. Fr. Francisco Arcarata.
 D. Josef. Carlos de Olmedo.
 Sr. Vicario de Funes.
 D. Josef. Mendez de Vigo.
 D. Juan Josef Salona.
 D. Josef Prudencio de la Huerta.
 D. Nicolás Alvarez Doriga.
 D. Diego Antonio Badillos.
 D. Bernardino Urrizola.
 D. Josef Esteban Marquez.
 Dr. D. Josef Alfonso de Roa.
 D. Gabriel Martinez Huertos.
 D. Vicente Maria de Tercilla.
 D. Juan Josef de Erize.
 D. Josef Alcàntara.
 D. Juan Moreno Sanchez.
 D. Francisco Marin por quatro exemplares.
 D. Miguel de Naxera por dos exemplares.
 R. P. Fr. Casimiro Nieto.
 D. Cayetano Arizmenpi.
 D. Ramón de Aguirrezzabal.
 D. Josef Antonio de Carrera.
 R. P. Fr. Miguel de Carrera.
 D. Miguel Josef de Ardanaz.
 D. Manuel Munita por dos exemplares.
 D. Vicente Salgado.
 D. Santiago Benito de las Heras.
 D. Pedro Vigo.
 D. Manuel Pardo por ochenta exemplares.
 D. Agustin Ernaiz.
 D. Francisco Peroso.
 D. Ambrosio Gaite.
 D. Manuel Francisco de la Texera.
 D. Josef Gomez de la Fuente.
 D. Bartolomé Marin Castaño.
 D. Pedro Aristu por dos exemplares.
 D. Valentin Galindez por veinte y quattro exemplares.
 R. P. Fr. Josef Limia por dos exemplares.

EN VALLADOLID,

- R. P. M. Fr. Lorenzo del Campo.
 D. Manuel Garcia.
 D. Antonio Gutierrez.
 D. Alonso de Alonso, por dos exemplares.
 D. Felipe Paradela.
 D. Manuel Florez.
 D. Francisco Pozal.
 D. Josef Lorenzo.
 D. Josef Poncelis.
 D. Julian de Caceres.
 D. Juan Ruiz de Saona.

EN ZARAGOZA.

- D. Juan Antonio Rosillo.
D. Sebastian Castillo.
D. Joaquin Letosa.
D. Juan Miguel Cardona.
D. Mariano Salvador por
dos exemplares.
D. Josef Perez.
D. Francisco Salinas por dos
exemplares.
R. P. M. Fr. Tomas Do-
mingo.
D. Josef Laguna y la Fuente.
D. Tadeo Nabau por seis
exemplares.
D. Ramon Ruiz del Sotillo.
- D. Francisco Camon.
D. Gregorio Mateo.
El Convento de PP. Capu-
chinos de Lerin.
El Sr. Cura de Codes.
D. Carlos de Azpadden Eche-
nique.
R. P. Fr. Joaquin Villodas.
D. Gaspar Ximenez.
D. Joaquin Burriel.
R. P. Fr. Alberto Urrea.
D. Antonio Lopez de Oros.
D. Fernando Polo y Monge
por doce exemplares.

EN BARCELONA.

- Dr. D. Francisco Galzaran.
D. Ramon Font.
D. Pedro Nolasco Plana.
Dr. D. Mariano Joaquin de
Huerta.
D. D. Francisco Salvador de
Calella.
- R. P. Fr. Esteban de Bar-
celona.
Dr. D. Magin Minosas.
D. Francisco Comella.
D. Feliz Rosa.
Dr. D. Juan Villa.

EN SEVILLA.

- D. Cristoval Aguilar.
D. Josef Cabello.
R. P. Fr. Juan de los Do-
lores.
D. Bernabe Arroyo y Abreu.
R. P. Fr. Francisco Castilla.
- R. P. Fr. Josef de Nieva.
D. Francisco de Sorra.
R. P. Fr. Isidro Arias Cal-
dero.
R. P. Fr. Francisco Suarez.
D. Gaspar Gonzalez.

R. P. Fr. Josef Cayetano del Chumazero.
Ave-Maria. Berad y Blanchad por seis
D. Antonio de Picaza. exemplares.
D. Francisco Carmona y EN MURCIA.

EN GRANADA.

D. Josef de Reina. D. Francisco Ruiz Montalvo
R. P. Fr. Antonio Hermoso, por dos exemplares.
D. Juan de Aguilar.

EN SANTIAGO DE GALICIA.

D. Josef Quiroga Riomol. D. Ramon Romero.
D. Manuel Pastoreza. R. P. Fr. Domingo de la
D. Manuel Fernandez No- Peña por dos exemplares,
guerol.

EN CADIZ.

R. P. Fr. Bernardo del D. Alonso Garcia Fernandez.
Puerto. Dr. D. Vicente Perez.
R. P. Fr. Juan del Rosario. Dr. D. Ramón Ximenez.
Dr. D. Nicolas de Mora. D. Miguel Inacio Miranda
D, Martin Olondris. por doce exemplares.

EN CARTAGENA.

D. Francisco Sanguinetto. D. Juan Lopez Cañas.
D. Antonio Castellano. D. Miguel Merdella.

EN CORDOVA.

D. Antonio Barroso, R. P. M. Fr. Juan de Cas-
D. Josef del Castillo. tro.
D. Antonio Garcia, R. P. Fr. Antonio de Castro.

R. P. M. Fr. Alonso Agui- D. Josef Berad por quatro
lar. exemplares.

EN MURCIA.

D. Juan Ruvio Armengol. D. Antonio Casanova.
D. Joaquin Espinosa.

EN VALENCIA.

Tres Subscriptores por ocho exemplares.

EN CARTAGENA.

D. Francisco Gutiérrez. D. Juan Páez Cárdenas.
D. Vicente Gutiérrez. D. Miguel Pérez.

EN COHDOA.

D. Antonio Bustos. R. P. M. Fr. Juan de Cárdenas.
D. Joaquín Gutiérrez. D. Francisco Gutiérrez.
D. Vicente Gutiérrez. R. P. M. Fr. Juan de Cárdenas.

ERRATA MAGIS NOTARIAS

Pág. Nro. Errata

8 100 probante probante
8 101 remoto remoto
8 102 103
8 103 probante probante
8 104 probante probante
8 105 Ropas Ropas

10 106 107
10 108 109
11 110 de la otra de las
11 111 112
11 113 114

12 115 116
12 117 118
12 119 120
12 121 122

12 123 124
12 125 126
12 127 128
12 129 130
12 131 132

12 133 134
12 135 136
12 137 138
12 139 140
12 141 142

12 143 144
12 145 146
12 147 148
12 149 150
12 151 152

ERRATA MAGIS NOTABILIA

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>errata</i>	<i>corrigē.</i>
2	10	praestet	praestetur
	19	epistolis	in epistolis
3	1	valens	volens
9	18	tantum	tantam
	19	Regulis	Regalis
16	1	cum eum	
17	4	probabilitas	probabilibus
	9	probabili	Probabilibus
18	8	Discalceatorum.	Discalceatarum
	23	non.	novi
20	9	celebus	celebri S.
21	15	& iusta	& ista
22	12	in id	
23	20	affectus	afectu
25	12	quod	quod in
26	4	probabilitatis.	Probabilistis
28	4	utroque	in utroque
29	4	& severa.	& severa est
30	24	comodo	cominoda
	31	reprobati.	reprobatus
31	7	sum	summo
33	8	Probilistis	Probabilistis
35	8	antiquorum.	antiquos
36	11	obscuritatem.	obseuritatem dico
38	4	quoniodocunque	quandocumque
	17	discursa	discusa
39	22	morari.	moralis
46	16	instasque	istasque
60	4	qui	quae
66	1	doctum.	ductum
71	29	nām,	non
73	21	maiорibus	moribus
75	6	iniusta	iusta & vera

81	4	est ei	est
83	2	ne que vales	ne que valet
	3	opinionum.	optimum
	7	iliud.	aliud
84	11	indicere	inducere
85	16	qua	quare
91	5	ilis	aliis
97	19	ex Antonino	ex S. Antonino
101	9	discriptio	descriptio
118	16	specialiter postq.	specialiter benigniores
136	5	ad aliquibus	ad aliquid
141	2	docet	docent
149	5	probabilia	probabilis
155	2	transcend	transcendere
160	2	dicidit	cicit
175	6	es	ei
193	4	ad externum	ad internum
198	22	quo	quod
206	13	cum.	nam
224	11	quando non est.	quando est
		neg.	&c.
227	6	practicum eius	in eius
228	5	eclesiastica	ecclectica
229	12	de variis	de variis dubiis
230	8	poecata	praecepta
231	2	secu ium.	securum
236	3	testatus	testatur
240	2	alterum,	alteri
240	9	de opinion,	opinionem ligantem & duram
242	29	in Resolutionii	in sensu Resolutionis
249	16	in 118	in Ps. 118,
249	17	con.	non
250	16	Ex S	Ex L.
260	22	ad similiter	ad similes
263	16	probabiliores	probabilorem
266	16	praesertim	praesenti
	23	his	hic





